




PASTORALE ECCLESIAE AVDOMARENSIS

Desumptum ex Sacerdotali Romano.

Adiectis variis instructionibus & exhortationibus, aliisq́; curam animarum concernentibus, vt sequens Præfatio. & Tabula indicant.

Editum à Rmo in Christo Patre ac Domino D. IACOBO BLASAEO Episcopo Audomarensi in Synodo diæcesana, an. 1606.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, & cùm apparuerit princeps pastorum percipietis immarcessibilem coronam. 1 Petr. 5.
Sanguinem eius de manu speculatoris requiram. *Ezech* 32.





AVDOMAROPOLI,
Excudebat FRANCISCVS BELLET, Bibliopola & Typographus M. DC. VI.

Cum licentia & priuilegio.

PRÆFATIO.

Iacobus Blasæus Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Audomarensis, Reuerendis ac Venerabilibus Dominis Prælatis, Decanis, Pastoribus, Ecclesiasticisque vniuersis Diœcesis nostræ Audomarensis, salutem in Domino.



VM Sanctissimo D. N. supremo in terris Ecclesiæ Pastori visum esset, ad Sereniss. nostrorum Principum nominationem, me ex sede Namurcensi, cui quadriennium penè præfueram, ad Audomarensem hanc transferre; non depositi, sed commutati oneris memor, in id mihi totis viribus incumbendum censui, vt quod Episcopi nomen includit munus officiumq; obirem pro virili, gregi commisso studiosè intendens ex eius seu consilio seu decreto, cuius illa vox, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. *Quod quo certius & vberiore fructu præstarem, obeundam mihi putaui totam diæcesin. Visitaui eam quàm potui diligenter, vt sic meis, non alienis oculis & auribus, quasi introspicerem eius necessitates siue defectus, non ignorans in Ecclesiæ naui assiduis his temporum ventis & procellis, semper esse quod sarciatur exhauriaturq; eamq; ob rem indefessam Nauarchi vigilantiam ac præsentiam cum primis in hoc officio requiri. Deprehendi autem inter cæteros defectus, à Pastoribus nonnullis, aliisq; sacramentorū administris, nō paucos nec paruos errores admitti, quòd nulla concordi ac recta methodo in his fun-* Act. 20.

ctionibus vterentur, idq; defectu Enchiridij seu [illegible]ori Ritualis, ad quem sese in re tanti momenti referrent. Populum deinde in fidei ac Religionis Christianæ rudimentis parum esse instructum aduerti. Quibus attente consideratis a fundamentis censui auspicandum, vt Catechismum scilicet vtraq; lingua, Gallica & Teutonica (cuius vtriusque in hac diœcesi vsus est) breuem, perspicuum, solidumq; in lucem emitterem. deinde vt ad certi Pastoralis seu libri Ritualis, qui modum Sacramenta rite, reuerenterq; dispensandi contineret, editionem, studium meum illico conferrem. Verum, ob assidua eaq; minimè leuia, quæ in Episcopatu occurrunt negotia, tum quòd opus illud maximè accuratum, emendatumq; vellem, non potuit pro voto tam citò absolui, & typis emitti. Vt enim vsum tam Breuiarij quàm Missalis Romani amplexi sumus: ita quoque volui Pastorale hoc, adiectis nonnullis instructionibus & cohortationibus, totum esse Romanum. Itaque ne quid ei deesset aut in eo desiderari posset, Sacerdotale Romanum cum multis variisq; Pastoralibus, cùm veteribus tum nouis contuli, & certam definitamq; ex eis redactam formam communicaui cum iis, qui ex officio mihi assistunt, viris doctissimis, & in hoc genere versatissimis, cum Decanis quoque Christianitatis ac primariis præcipuisq; Pastoribus, vt ita omnium necessitati animarumq; saluti pleniùs consuleretur. Porrò visum fuit Opus omne trifariam partiri.

Prima parte agitur de Sacramentis, additis nonnullis regulis, ne quem in administrando errorem Pastores incurrant. Adiecimus ad singula succinctas exhortationes & monita, quibus ante eorumdem administrationem vis omnis, vsus & effectus cuiusque Sacramenti (iuxta præscriptum Concilij Tridentini) continetur, quas quidem pastores pro sua erudi-

tione

tione & industria poterunt subinde extendere aut cōtrahere, & pro re nata ad cuiusq; captū aptare. Ac tametsi Concilium si opus fuerit, & commode fieri posit, huiusmodi exhortationem velit in linguam vernaculam transferri, id tamen hic factum non est, tum quòd non vnum in hac Diœcesi, sed duplex sit populi idioma, tum quòd ad hæc officia nullos Pastores nisi linguæ Latinæ probè peritos admittimus. Et quia animarum salus post baptismum, potissimum pendet à debito vsu Sacramēti pœnitentiæ, & felici emigratione ex hac vita, paulùm in hoc substitimus & prolixiores fuimus, dedimusq; cumprimis operam, vt Pastores ad eiusdem Sacramenti fructuosam administrationem egregiè comparati essent, & quo pacto ægrotis opitulari posint, vt animas suas piè ac sanctè ad Dominum transmittant. Tractamus etiam de sacramento matrimonij ante sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ, sacerdotale Romanum, rationemque in eo allatam secuti.

Secunda parte, agitur de sepultura atque officio defunctorum in quo propendebamus ad indicandum tantum initia psalmorum, nullo adiecto cantu, sed rogatu pastorum, illos extensè iussimus adcudi, admisso etiam cantu vbi res postulabat, quò magis eorum vsui consuleremus.

Tertia parte, vt Pastores debitè munus suum obeant, & populus ab omni superstitione abstinens, ad Deum in necessitatibus suis recurrat, certas formulas complexi sumus, quibus statis diebus parœcianos suos admonere, aliaque nonnulla ex officio & scribere & facere debebūt. Benedictiones item & Exorcismos, quibus populo aduersus dæmonum infestationes efficaciter succurrant. Et hæc quidem Dei auxilio, nec sine labore, à parte nostra effecta sunt.

Reliquum est, vt vos dilectissimi in Domino pastores, of-

*ficio vestro non desitis. Rituale hoc crebrò reuoluite. Ita vi-
uite, ne tanti officij dignitatem mala vita contaminet. Mo-
res vestros componite ad sacrorum Canonum decreta &
statuta primæ Synodi huius diœcesis, & earum quas singulis
annis instituimus. Atque vt paucis & comprehensè dicam, vi-
tæ exemplo ædificate populum Dei, puritate morum subditis
præfulgete. Ecclesiastica veste nec vana nec sordida incedite.
Decorè in comam tonsi, ordinem vestrum testemini. In esu ac
potu ecclesiasticã temperantiam & modestiam seruate. Vilia
commercia omnino vitate. In officio pastorali Greg. Magnum
Greg. Thaumaturgium, ac similes præclaros viros quisque pro
viribus imitemini. Flagrate zelo salutis animarum. Catalo-
gum omnium ouium accuratissimum habete. Insistite sedu-
ctorũ conuersioni. Sæpe vestros visitate, In sermone sitis sua-
ues & efficaces, ab omni hæreseos ac maleficij labe populũ cu-
stodite. Decorem domus Dei diligite. Munditiem in templo, in
fenestris, in sacris imaginibus, in altaribus, in mappis, in cor-
poralibus, in purificatoriis, in albis, in ornamentis, in vino &
hostiis seruate. Libros spirituales sæpe legite. In cõcionibus pij,
solidi, discreti, efficaces esse conemini. In audiendis confessioni-
bus patentes, attenti, prudentes, non superflui. In cantu non
vani, non præcipites, nõ remissi. Denique cauete ab omni aua-
ritia aliisque sordibus, quæ gradum ecclesiasticũ dehonestent, &
angelicam vestram functionem vilem ac despectam reddant;
vt tam in administrandis Sacramẽtis quàm reliquis functio-
nibus scopus vester, non lucrũ vel quæstus, aut aliquid rerum
humi iacẽtium sit: sed Christus, pastor pastorũ, qui dum segre-
gabit oues ab hœdis, vos nobiscum coronet, possimusque læti ac se-
curi singuli dicere, Pater ex iis quos dedisti mihi, nõ perdidi ex
iis quemquam: Valete, orate, vigilate, iterum dico, vigilate.*

INDEX

INDEX EORVM OMNIVM QVÆ IN HOC PASTORALI CONTINENTVR.

INDEX PRIMÆ PARTIS.

INDEX SECVNDÆ PARTIS,

Quæ continet Officium defunctorum, ac modum sepeliendi mortuos.

INDEX TERTIÆ PARTIS,

Quæ agit de certis Paſtorum officiis quæ obire debent prædicando, ſcribendo, benedicendo, vel exorcizando.

De Exorciſmis.

Exor-

FINIS.



SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ *Archiducum Austriæ, &c. priuilegio cautum est, ne quis absque licentia R^mi Domini Episcopi Audomarensis (quam idem R^mus D. Episcopus concessit Francisco Bellet Typographo Audomar.) imprimat* Pastorale Ecclesiæ Audomarensis, *editum à dicto R^mo Domino Episcopo, aut alibi impressum in has ditiones importet, venaleúe habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & graui pœna multabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die* 4. *Septembris,* M. DC. II.

Signat.

GRIMALDI.

PARS PRIMA MANVALIS AVDOMARENSIS.

Præſcriptiones quædam generales obſeruandæ à Parochis eorumque Vicariis in Sacramentorum administratione, & ſolemni quarumuis rerum benedictione.

Sacerdos ſacramenta adminiſtraturus, vel quippiam benedicturus, ſit in habitu decenti indutus, ad minimum ſuperpelliceo & ſtola, nec vnquam aliter.

Adſit ei, dum baptiſmum, matrimonium, vel extremam vnctionem adminiſtrabit, aut ſacroſanctam Euchariſtiam ad ægrotos deferet, Cuſtos ſeu clericus, clericali veſte (ſi fieri poßit) & ſuperpelliceo ornatus, precantiq; totius Eccleſiæ nomine reſpondeat.

Extra caſum neceßitatis non adminiſtret ea alienis parochianis, niſi de conſenſu proprij paſtoris, aut licentia Epiſcopi.

Sacramentorum etiam vim & vſum breuiter explicet vernacula lingua, priuſquam ea adminiſtret, iuxta præſcriptum Concilij Tridentini.

Vbi autem noua olea acceperit, vetera comburat in lampade lucente ante venerabile Sacramentum, lychno priùs in ſacrario planè exuſto.

Habeat intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit, verbaq; omnia, præſertim ſacrmentalia, pronunciet integrè, gra-

uiter, distinctè, ac intelligibili voce.

Denique accedens Sacerdos ad administrandum aliquod sacramentum, supplex ante altare (si fieri posit) sanctißimum Dei nomen inuocabit, dicetq́; sequentem orationem.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & me indignum, qui primus misericordia tua indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti huius operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuę virtutis est, operare. Per Christum Dominum nostrum.

Qua oratione dicta, priusquam incipiat administrationem Sacramenti, muniat se signo crucis, dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI BAPTISMI.

QVia hoc sacramentum est maximè necessarium, Sacerdos requisitus, absque mora illud administret, nec differat eo prætextu, quòd infans sit illegitimus, nec etiam patiatur differri à parentibus.

Præcipit autem Synodus Cameracensis secunda, sub pœna suspensionis, vt decretum Concilij Tridentini, de vno patrino aut vna matrina, aut ad summum, vno & vna, districtè seruetur ab omnibus pastoribus.

Non debent autem admitti in patrinos aut matrinas pueri qui non habent vsum rationis, multò minus hæretici aut de hæresi suspecti, excommunicati, aut qui in Paschate non

ſunt confeßi, nec ſacram communionem receperunt, notoriè criminoſi, neque ignoti, nec qui ipſimet ignorant ea quæ docere debent Neophytum; vtpote Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi & Eccleſiæ. Item religioſi ac religioſæ, vt qui pro aliis ſpondere non poßint.

Pueris etiam non permittant Parochi imponi nomina Paganorum, ſed nec eorum qui ab Eccleſia pro ſanctis non coluntur, neque ſimiliter nomina ſanctorum veteris teſtamẽti.

Cùm autem puer fuerit domi priuatim baptizatus, niſi duarum aut trium idonearum perſonarum teſtimonio certo conſtet, eum adhibita debita materia & forma ritè fuiſſe baptizatum, debebit in eccleſia ſub conditione baptizari. Similiter quando ab hæreticis fuit baptizatus, nec clarè doceri poteſt debitam materiam & formã adhibitam fuiſſe. Sic etiam quando manus aut pes ex vtero emiſſus, tum fuit baptizatus. Item quando infans expoſitus eſt, etiamſi ſcedula appenſa ſignificetur baptizatus; & aliàs quando aliquod dubium ſubeſt. Alioquin quando Parochus quantum fieri poteſt per humanam certitudinem certus eſt puerum fuiſſe ritè baptizatum, abſtinere debet à conditionali baptiſmo, nec interrogare: Vis baptizari.

Poſt vnctionem factam, debet ſacrum oleum & chriſma abſtergi, linumq; vel linteolum quo abſterſum fuerit, comburatur, & in piſcinam eccleſiæ mittatur.

Vbi autem conſuetudo eſt, vt exſufflatio, exorciſmus, aliaq; quæ baptiſmo præmittuntur, fiant ante fores templi, quoniam laudabilis & antiqua eſt, omnino retineatur. Vbi autem in templo iſta fieri conſueuerunt, fiant extra baptiſterium.

Parochus registro inscribat nomina baptizati, parentum, ac susceptorum, parochiasq́; in quibus degunt, diemq́; collati baptismatis; & si quis alterius nomine prolem suscipiat, vtriusque nomen inscribat, in hunc modum, N. nomine N. vbi verò impletum fuerit registrum, diligenter conseruetur in archiuo ecclesiæ.

Moneat denique Sacerdos astantes, ne fabulis, sed precibus vacent, ac diligenter ad ea quæ aguntur intendant, eisq́; exponat necessitatem & efficaciam baptismi, ac cæremoniarum quæ ei adhibentur rationem breui quapiam oratione, hac videlicet quæ sequitur, aut simili, prout ei videbitur.

FIdeles Christiani, qui hunc infantẽ ad baptismum affertis, breuibus accipite, & cur infans hic debeat baptizari, & cur tot cęremoniis in eius administratione vtamur. Quod ad prius attinet, dicit Paulus *Rom.* 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, in quo omnes peccauerunt, nosq́; esse natura filios iræ.* Et hinc Dauid: *In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quare Christus docet: *quòd oporteat nos nasci denuo; & nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non posse intrare in regnum Dei.* Atque ita baptismus tam pueris quàm adultis est necessarius, labem originalem omnemq́ue culpam auferens, *estq́; lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti*, vt docet Paulus *Tit.* 3. Christi passionem nobis totam communicat, tollens omnem pœnam, ac proinde paradisum aperit, nosq́ue saluos facit, teste Petro. Cęremoniæ verò, quibus in hoc sacramento vtimur, antiquissimæ sunt, & iam inde ab initio Ecclesię semper vsitatę, vt ex veterum Patrum monu-

mentis certiſſimè conſtat; & ad tria ſeruiunt. Imprimis enim oſtendunt dignitatem Baptiſmi, & quid in nobis operetur; deinde ſunt benedictiones & orationes quibus Eccleſia orat vt dona ac gratias ſuas Chriſtus baptizando conferat, & collatas in eo conſeruet. Et denique ſunt monitiones, quibus admonetur qui baptiſmum ſuſcipit, quomodo deinceps vitam inſtituere debeat. Quocirca, dum has cęremonias adhibemus, orate nobiſcum, & memoria repetite quid per baptiſmum conſecuti ſitis, & quid Chriſto promiſeritis, & quo pacto vitam veſtram debeatis inſtituere, cumq́ue ad iuſtam ętatem hic infans peruenerit, eum de his commonefacite, ac potiſſimum ſuſceptores.

Si tempus non patiatur vti longa oratione, poterit Paròchus allata ſola Scriptura Ioan. 3. *proponere neceſſitatem Baptiſmi, & vno verbo oſtendere vſum cæremoniarum; & hoc ſemper agere, ne ſine fructu aſtantes è templo recedant. Et ſi non fuerit oportunum dicere initio, ſaltem id fiat cùm monentur ſuſceptores vt dicant Orationem Dominicam, & Symbolum.*

RITVS BAPTIZANDI MASCVLOS.

CVM puer allatus fuerit ad fores Eccleſię, Sacerdos ad minus ſuperpellicco & ſtola ornatus, quęrat ab obſtetrice & aliis aſtantibus:

Sacerdos. Quid dedit tibi Deus?

Reſpondeant: Filium.

Sacerdos. Quid petis?
Respondeant. Baptiſmum.
Sacerdos: Adſuntne ſuſceptores?
Vbi illi ſe adeſſe responderint, Sacerdos quęrat ab eis:
Vis, [vel vultis] viuere in Fide Chriſtiana, Catholica, Apoſtolica & Romana?
Respondeant Suſceptores: Ita, adiuuante Dei gratia.
Tunc Sacerdos iubeat lumen accendi, & dicat:
Quod nomen vis [vultis] dare huic puero?
Respondeant ſuſceptores: Nomen Petri, Ioannis, &c.
Verſus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſus. Sit nomen Domini benedictum.
Reſp. Ex hoc nunc, & vſque in ſęculum.
Poſtea inſufflet in faciem pueri ter, & tribus vicibus dicat: Exi ab eo immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paracleto.
Deinde cum pollice dextro faciat ſignum crucis in fronte infantis & in pectore illius dicens:
Accipe ſignum ſanctę ✠ crucis tam in fronte quàm in corde: Sume ſcutum fidei cœleſtium præceptorum, talis eſto in moribus, vt templum Dei iam eſſe poſſis. Reſp. Amen.
Verſ. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, diſrumpe omnes laqueos ſathanæ, quibus fuerat col-

ligatus. Aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuæ: vt, ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fætoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in Eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, & idoneus efficiatur accedere ad gratiam, baptiſmi tui percepta medicina: Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Oremus.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clemẽter exaudi, & hunc electum tuum crucis dominicæ (cuius impreſſione eum ſignamus ✠) virtute cuſtodi: vt magnitudinis gloriæ rudimenta ſeruans, per cuſtodiam mãdatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Chriſtum Dominũ noſtrum. ℟. Amen.

DEus qui humani generis ita es conditor, vt ſis etiã reformator: propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis adſcribe: vt filij promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

Exorciſmus ſalis.

EXorcizo te, creatura ſalis, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in charitate Dñi noſtri Ieſu ✠ Chriſti, & in virtute, Spiritus ✠ ſancti. Exorcizo te per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verũ, per Deum ✠ ſanctum; per Deum qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per ſeruos ſuos conſecrari præcepit: vt in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare ſacramentum, ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine

Deus noſter, vt hanc creaturam ſalis ſanctificando ✠ ſanctifices, benedicendo ✠ benedicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum. In nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde aſpergatur ſal aqua benedicta, & poſtea Sacerdos interrogato nomine infantis, imponat modicum ſalis in ore eius dicens:

N. Accipe ſal ſapientiæ, per quod propitiatus ſit tibi Dominus in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos extendens manum ſuper puerum, dicit:

Oremus.

Deus patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor creaturæ, te ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quo minùs cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper diuino ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens, & perduc eum ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna pręmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Synai apparuiſti, & filios Iſrael de terra Ægypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte, te quæſumus Domine, emittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui ſimiliter cuſtodiat hunc fa-

mulum tuum N. & perducat eum ad gratiam baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem fontemque baptiſmatis dono ſuæ gratiæ vocare dignatus eſt.

Faciat crucem in frontem infantis, dicens:

Et hoc ſignum ſanctæ ✠ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dñm noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus immortale præſidium omnium poſtulantium, liberatio ſupplicum, pax rogantium, vita credentium, reſurrectio mortuorum, te inuoco ſuper hunc famulum tuum N. qui baptiſmi tui donum petens, ęternam conſequi gratiam ſpirituali regeneratione deſiderat. Accipe eum Domine, qui dignatus es dicere: petite & accipietis, quęrite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis; petenti itaque manum porrige, & ianuam pande pulſanti, vt ęternam cœleſtis lauacri benedictionem conſecutus, promiſſa tui muneris regna percipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Ergo maledicte diabole, *vt ſupra.*

AVdi maledicte Sathana, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij eius, cum tua victus inuidia tremens gemenſque diſcede, nihil ſit tibi commune cum ſeruo Dei N. iam

cœlestia cogitante, renunciaturo tibi & sæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat, vt ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberatus hic seruus Dei, gratias perenni Deo referat semper, & benedicat nomen eius in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde fit exorcismus, & ter signatur puer, dicendo:

Exorcizo te immunde spiritus in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti: vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipse enim imperat tibi maledicte damnate atque damnande, qui pedibus suis super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius Domino nostro, & Spiritui sancto paracleto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque baptismatis dono suæ pietatis vocare dignatus est. Et hoc signũ sanctæ ✠ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare, per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Æternam ac iustissimam pietatem tuam deprecamur Domine sancte, Pater omnipotens, ęterne Deus, qui

auctor

auctor es luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum & sanctifica; da ei scientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, vt aptus sit ad percipiendam baptismi tui gratiam. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

Hîc Sacerdos tenens manum super caput infantis dicit:

NEc te lateat sathana imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuersis angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius & Spiritui sancto, in cuius nomine atque virtute ego præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem fontemque baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est, vt fiat eius tēplum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorū. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem.

Postmodum Sacerdos legit Euangelium sequens, ponens stolam super puerum in formam crucis, & dicens: Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spi-

ritu tuo. Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum. Resp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Oblati sunt paruuli ad Iesum vt manus eis imponeret & oraret, discipuli autem increpabant eos. Iesus autem ait eis: Sinite paruulos, & nolite prohibere eos ad me venire: talium est enim regnum cœlorum. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde. Resp. Laus tibi Christe.

Ad dexteram manum infantis imprimendo signum crucis dicit Sacerdos:

N. Trado tibi signaculum Domini nostri Iesu Christi ✠ in manu tua dextra, vt te signes, & à te aduersarium ex omni parte repellas, & habeas vitam æternam, in nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus sancti. Resp. Amen.

Deinde Sacerdos introducit eum in ecclesiam, dicendo: Ingredere Ecclesiam Dei, & euasisse te laqueos mortis lætus agnosce, horresce idola, respue simulachra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Iesum Christum Filium eius cum Spiritu sancto, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem.

Introducto puero, moneat Sacerdos susceptores vt sedulò orent pro infante, quo dignè per Ecclesiæ & ipsorum fidem sacramentum Baptismi suscipere possit, legentes Pater noster. Aue Maria. & Symbolum Apostolorum.

Deinde moneat obstetricem vt præparet infantem ad baptismum, eumque denudet non totum: sed tantùm vsque ad vmbelicum aut circiter.

Nudato autem ac præparato infante, Sacerdos antequam ducat puerum ad baptisterium sputo suo tangit aures & nares infantis dicens:

Epheta, quod est adaperire in odorem suauitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Tunc vadit Sacerdos cum puero ad fontes, ibique stans cum eo facie versus Occidentem, interrogat eius nomen & dicit:

N. Abrenuntias Sathanæ?

Respōdeant susceptores nomine pueri: Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus operibus eius?

Respondeant susceptores: Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus pompis eius?

Respondeant susceptores: Abrenuntio.

Tunc Sacerdos vngat infantem in pectore & inter scapulas faciens signum crucis de oleo sancto seu catechumenorum, dicens:

N. Ego te linio oleo salutis, vngat eum in pectore. Et dicendo: In Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen. vngatur inter scapulas.

Vnctione autem facta, abstergatur oleum stuppa, quæ postea incendatur super piscinam, quod in omni vnctione siue olei siue chrismatis obseruari debet.

Deinde vertens faciem cum puero versus Orientem, interrogato nomine infantis, dicet:

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

Respondeant susceptores nomine infantis: Credo.

Sacerdos: Credis & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum?

Respondeant susceptores: Credo.

Sacerdos: Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam?

Respondeant susceptores: Credo.

Postea Sacerdos iterum interrogat nomen infantis, & dicit: N. Vis baptizari?

Respondeant susceptores nomine infantis: Volo.

Deinde quærat Sacerdos, an propter periculum formidatum, sit aliquid tentatum circa baptismum pueri, & si responsum fuerit, nihil eiusmodi factum, baptizet eum, ter fundendo aquam super caput eius, dicens:

N. Ego te baptizo in nomine Patris, (semel fundendo aquam) & Filij, (iterum fundendo aquam) & Spiritus sancti, tertiò fundendo aquam.

Si verò fuerit responsum aliquid esse factum, & tamen re bene perquisita, sit aliqua dubitandi occasio de integritate sacramenti, baptizet puerum sub conditione, hoc modo, dicens:

N. Si es baptizatus, ego te non baptizo: sed si non es baptizatus, ego te baptizo, in nomime Patris & Filij & Spiritus sancti.

Si verò non sit ratio dubitandi, non baptizetur sub conditione, vt suprà dictum est, sed procedatur ad sequentes cæremonias.

Et cùm puer baptizatus est, Sacerdos dicat:

Oremus.

DEus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, Hîc faciat crucem de chrismate in vertice infantis. ipse te liniat chrismate salutis, in eodem Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde Sacerdos ponat vestem albam super caput pueri, petitoque eius nomine, dicat:

N. Accipe vestem candidam, sanctam & puram, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Sacerdos det candelam accensam in dextra manu pueri, cui etiam manus apponant susceptores, quæratque eius nomen, & dicat:

N. Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem custodi baptismum tuum, serua dei mandata, vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei vnà cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasq; vitam æternam & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Vade in pace & Dominus sit tecum. Amen.

Denique Sacerdos moneat susceptores, vt meminerint se duo pro puero spopondisse Ecclesiæ. Primum respondendo Credo, quòd dabunt operam vt infans hic instituatur in fide Ecclesiæ Catholicæ Romanę, in eaque perseueret. Alterum, respondendo, Abrenuncio. vt reiecto diabolo, firmiter Deo adhæreat, eiusque mandata seruet, vitamq; ducat Christiano

homine

homine dignam. Ac proinde ſatisfaciant ſuę promiſſioni, & curent mox vbi per ætatem licuerit, vt ſciat Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, primaque religionis Chriſtianæ rudimenta. Declaret quoque eis, quòd cognationẽ ſpiritualem contraxerint cum puero baptizato & patre ac matre eius, ita vt legitima nuptiarum fœdera cum eis inire non poſſint, ſique fuerint inita, de facto dirimantur.

DE BAPTISMO

PVELLARVM.

IN *primis Sacerdos indutus ſuperpelliceo & ſtola, ab obſtetrice & ſuſceptoribus delatæ infantis interroget:*

Quid dedit tibi Deus?

Reſpondeant: Filiam.

Sacerdos: Quid petis?

Reſpondeant: Baptiſmum.

Sacerdos: Adſuntne ſuſceptores?

Vbi illi ſe adeſſe reſponderint, Sacerdos quærat ab eis.

Vis [vel vultis] viuere in Fide Chriſtiana, Catholica, Apoſtolica & Romana?

Reſpondeant ſuſceptores: Ita, adiuuante Dei gratia.

Tunc Sacerdos iubeat lumen accendi, & dicat:

Quod nomen vis [vultis] dare huic puero?

Reſpondeant Suſceptores: Nomen Mariæ, Annæ. *&c.*

Verſus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

Reſp. Qui fecit cœlum & terram.

Verſ. Sit nomen Domini benedictum.
Reſp. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Poſtea inſufflet in faciem puellę ter, & tribus vicibus dicat: Exi ab ea immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paracleto.

Deinde cum pollice dextro faciat ſignum crucis in fronte infantis & in pectore illius, dicens:

Accipe ſignum ſanctæ ✠ crucis tam in fronte quàm in corde Sume ſcutum fidei cœleſtium præceptorum, talis eſto in moribus, vt templum Dei iam eſſe poſſis. Reſp. Amen,

Verſ. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hanc famulam tuam N. quam ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab ea expelle, diſrumpe omnes laqueos ſathanæ, quibus fuerat colligata. Aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuæ, vt, ſigno ſapientię tuæ imbuta, omnium cupiditatum fætoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum, læta tibi in Eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, & idonea efficiatur accedere ad gratiam, baptiſmi tui percepta medicina: Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Oremus.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hanc electam tuam crucis dominicæ (cuius impreſsione eam ſignamus ✠) virtute cuſtodi: vt magnitudinis gloriæ rudimenta ſeruans, per cuſtodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis glo-

riam peruenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

DEus, qui humani generis ita es conditor, vt sis etiam reformator: propitiare populis adoptiuis, & nouo testamento sobolem nouæ prolis adscribe: vt filij promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. &c.

Exorcismus salis.

EXorcizo te creatura salis, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in charitate Domini nostri Iesu ✠ Christi, & in virtute, Spiritus ✠ sancti. Exorcizo te per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verũ, per Deum ✠ sanctum; per Deum qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per seruos suos consecrari præcepit: vt in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, vt hanc creaturam salis sanctificando ✠ sanctifices, benedicendo ✠ benedicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen.

Deinde aspergatur sal aqua benedicta, & postea Sacerdos interrogato nomine infantis, imponat modicum salis in ore eius dicens:

N. Accipe sal sapientiæ, per quod propitiatus sit tibi Dominus in vitam æternam. Resp. Amen.

Sacerdos extendens manum super puellam, dicit:

Oremus.

DEus patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor creaturæ, te ſupplices exoramus. vt hanc famulam tuam N. reſpicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quo minùs cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper diuino ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens, & perduc eam ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Oremus.

DEus cęli, Deus terrę, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus omnium bene viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, te inuoco Domine, ſuper hanc famulam tuam N vt perducere eam digneris ad gratiam baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius Domino noſtro, & Spiritui ſancto paracleto, & recede ab hac famula Dei N. quia iſtam ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque baptiſmatis dono ſuæ pietatis vocare dignatus eſt.

Faciat crucem in frontem infantis, dicens:

Et hoc ſignum ſanctæ ✠ crucis, quod nos fronti eius

damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen.

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui tribus Israel de Ægyptiaca seruitute leberasti, & per Moysen famulum tuum de custodia mādatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, te supplices exoramus; vt liberes hanc famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde fit exorcismus, & ter signatur infans dicendo:

EXorcizo te immunde spiritus, per ✠ Patrem, & ✠ Filium, & Spiritum ✠ sanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. ipse enim imperat tibi maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit. Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius Domino nostro, & Spiritui sancto paracleto, & recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq́ue baptismatis dono suæ pietatis vocare dignatus est.

Hic faciat crucem in fronte infantis.

Et hoc signū sanctæ ✠ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare, per eundem Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Oremus.

Æternam ac iustissimam pietatem tuam deprecamur Domine sancte, Pater omnipotens, ęterne Deus, qui auctor es luminis & veritatis, super hanc famulam tuam N. vt digneris eam illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eam & sanctifica; da ei scientiam veram, vt digna efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, vt apta sit ad percipiendam baptismi tui gratiam. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.

Hîc Sacerdos tenens manum super caput infantis dicit:

NEc te lateat sathana imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuersis angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius & Spiritui sancto, in cuius nomine atque virtute ego præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. quã hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem fontemq́ue baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est, vt fiat eius tẽplum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorũ. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem.

Postmodum Sacerdos legit Euangelium sequens, ponens stolam super infantem in formam crucis, & dicens: Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum. Resp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Oblati sunt paruuli ad Iesum vt manus eis imponeret & oraret, discipuli autem increpabant eos. Iesus autem ait eis: Sinite paruulos, & nolite prohibere eos ad me venire: talium est enim regnum cœlorum. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde. Resp. Laus tibi Christe.

Ad dexteram manum infantis imprimendo signum crucis dicit Sacerdos:

N. Trado tibi signaculum Domini nostri Iesu Christi ✠ in manu tua dextra, vt te signes, & à te aduersarium ex omni parte repellas, & habeas vitam æternam, in nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus sancti. Resp. Amen.

Deinde Sacerdos introducit eam in ecclesiam, dicendo: Ingredere Ecclesiam Dei, & euasisse te laqueos mortis læta agnosce, horresce idola, respue simulachra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Iesum Christum Filium eius cum Spiritu sancto, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem.

Introducta infante, moneat Sacerdos susceptores vt sedulò orent pro ea, quo dignè per Ecclesiæ & ipsorum fidem sacramentum Baptismi suscipere possit, legentes Pater noster. Aue Maria. cum Symbolo Apostolorum.

Deinde moneat obstetricem vt præparet infantem ad baptismum, eamque denudet non totam: sed tantùm vsque ad vmbelicum aut circiter.

Nudata autem ac præparata infante, Sacerdos antequam ducat illam ad baptisterium sputo suo tangit aures & nares eius dicens:

Epheta, quod est adaperire in odorem suauitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Tunc vadit Sacerdos cum infante ad fontes, ibique stans cum ea facie versus Occidentem, interrogat eius nomen & dicit:

N. Abrenuntias Sathanæ?

Respōdeant susceptores nomine puellę: **Abrenuntio.**

Sacerdos: Et omnibus operibus eius?

Respondeant susceptores: Abrenuntio.

Sacerdos: **Et omnibus pompis eius?**

Respondeant susceptores: **Abrenuntio.**

Tunc Sacerdos vngat infantem in pectore & inter scapulas faciens signum crucis de oleo sancto seu catechumenorum, dicens:

Ego te linio oleo salutis, vngat eam in pectore. Et dicendo: In Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen. vngatur inter scapulas.

Vnctione autem facta, abstergatur oleum stuppa, quæ postea incendatur super piscinam, quod in omni vnctione siue olei siue chrismatis obseruari debet.

Deinde vertens faciem cum puella versus Orientem, interrogato nomine infantis, dicet:

N, Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?
Respondeant susceptores nomine infantis: Credo.
Sacerdos: Credis & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum?
Respondeant susceptores: Credo.
Sacerdos: Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? Respondeant susceptores: Credo.

Postea Sacerdos iterum interrogat nomen infantis, & dicit: N. Vis baptizari?
Respondeant susceptores nomine infantis: Volo.

Deinde quærat Sacerdos, an propter periculum formidatum, sit aliquid tẽtatum circa baptismum puellę, & si responsum fuerit, nihil eiusmodi factum, baptizet eam, ter fundendo aquam super caput eius, dicens:
N. Ego te baptizo in nomine Patris, (semel fundendo aquam) & Filij, (iterum fundendo aquam) & Spiritus sancti, tertiò fundendo aquam.

Si verò fuerit responsum aliquid esse factum, & tamen re bene perquisita, sit aliqua dubitandi occasio de integritate sacramenti, baptizet infantem sub conditione, hoc modo, dicens:
N. Si es baptizata, ego te non baptizo: sed si non es baptizata, ego te baptizo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Si verò non sit ratio dubitandi, non baptizetur sub conditione, vt suprà dictum est, sed procedatur ad sequentes cæremonias.

Et cùm infans baptizata est, Sacerdos dicat:

Oremus.

DEus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, Hîc faciat crucem de chrismate in vertice infantis, ipse te liniat chrismate salutis, in eodem Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde Sacerdos ponat vestem albam super caput infantis, petitoque eius nomine, dicat:

N. Accipe vestem candidam, sanctam & puram, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Sacerdos det candelam accensam in dextra manu infantis, cui etiam manus apponant susceptores, quæratque eius nomen, & dicat:

N. Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem custodi baptismum tuum, serua dei mandata, vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei vnà cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasq; vitam æternam & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

Vade in pace & Dominus sit tecum. Amen.

Denique Sacerdos moneat susceptores, vt meminerint se duo pro infante spopondisse Ecclesiæ. Primum respondendo, Credo quòd dabunt operam vt infans hęc instituatur in fide Ecclesiæ Catholicæ Romanę, in eaque perseueret. Alterum, respondendo, Abrenuncio. vt reiecto diabolo, firmiter Deo adhæ-

reat, eiusque mandata seruet, vitamq; ducat Christiano homine dignam. Ac proinde satisfaciant suę promissioni, & curent mox vbi per ætatem licuerit, vt sciat Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, primaque religionis Christianæ rudimenta. Declaret quoque eis, quòd cognationē spiritualem contraxerint cum puero baptizato & patre ac matre eius, ita vt legitima nuptiarum fœdera cum eis inire non possint, sique fuerint inita, de facto dirimantur.

Modus plures simul baptizandi.

V*Nus potest plures baptizare, aspergendo omnes dicendo:* Ego vos baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. *Sed id fieri non debet, nisi in necessitate, quando ruina, gladius, aut periculum præsens imminet quod moram non patitur, vt singuli sigillatim possint baptizari. Verùm extra necessitatem, si plures siue paruuli siue adulti petant baptismum, possunt orationes & exorcismi simul super eos legi. Et tunc si sint diuersi sexus, masculos ad dextram & fœminas ad sinistram suam Sacerdos sisti faciat, & super masculos tantùm dicat & faciat quæ ad solos masculos pertinent, & tantùm super fœminas quæ propria sunt fœminarum. Ea verò quæ masculis & fœminis sunt communia, faciat & dicat super omnes, mutato vbique numero singulari in pluralem, prout vsus loquendi postulare videbitur. Singuli autem & singulæ semper signādi sunt, baptizandi & vngendi, primùm masculi, deinde fœminæ. Sal quoque, vestis al-*

ba, & lampas singulis dari debent. Simpliciores Sacerdotes qui ista facere minus possunt, legant ista super singulos sigillatim, prout moris est & melius norunt.

RITVS BAPTIZANDI INFANTES IN PERICVLO MORTIS.

SAcerdos, omnibus aliis prætermissis, petet nomen infantis, & dicet: N. Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. *fundendo aquam super caput pueri. Vel si aliquid attentatum fuerit, baptizabit eum sub conditione. Siq; adhuc superuixerit, faciet crucem de chrismate sacro in vertice eius, dabitq; ei vestem candidam & candelam ardentem cum orationibus, vt suprà Porrò si puer conualuerit, debent omnia suppleri quæ omissa sunt, scilicet omnia quæ baptismum præcedunt & dicta non fuerunt.*

Notandum autem est, quòd vt præcipit Concil. 2. Cameracense, in iis quos certò constat domi priuatim vel publicè ab hæreticis ritè ac legitimè esse baptizatos, siue paruulos siue adultos, non esse iterandum baptismum, ne quidem sub conditione: reliquas tamen omnes cæremonias, orationes & exorcismos in eis supplenda esse in ecclesia, omnia videlicet quæ præcedunt & sequuntur baptismum. excepta hac interrogatione, Vis baptizari? *Id autem fit, non modò vt vniformitas in baptismo seruetur, sed etiam vt multum fructus spiritualis inde consequantur, vberioremq; gratiam percipiant, & effectum baptismi firmiùs retineant. Sicut enim potest impediri gratia baptismi in baptizando, ita & in baptizato Eo ergo referatur Sacerdotis intentio, quando has cæ-*

remonias supplet, exorcizat, vel orat, vt is qui iam baptismum est consecutus, idoneus efficiatur ad percipiendam baptismi gratiam, vel perducatur ad regenerationis lauacrum & his similia referẽda videlicet omnia ad baptismi effectum. Nam & quoad adultos dicit August. Extra Ecclesiam baptismum esse posse, at prodesse non posse.

Porrò quando aliquis domi vel ab hæreticis baptizatus est, & postmodum in ecclesia cæremoniæ obmissæ in eo supplentur, Patrini qui adsistunt catechismo & exorcismo, non contrahunt cognationem spiritualem quæ dirimat matrimonium contractum, sed tantùm eam quæ dirimit contrahendum Ideo Parochus in registro baptizatorum scribens nomina patrinorum & eius in quo suppletæ fuerunt cæremoniæ ac parentum eius, debet adscribere nomen eius qui baptizauit, seque tantùm suppleuisse cæremonias obmissas prædictis patrinis astantibus.

ORDO SVPPLENDI CÆREMONIAS Baptismi in adulto ab hæreticis baptizato.

IN *primis debet adultus diligenter catechizari tam in fide quàm in moribus.*

Deinde facere abiurationem hæreseos & reconciliari Ecclesiæ.

Tertiò *debet patrinum habere qui eum Ecclesiæ offerat, & deinceps eius vitæ curam habiturus sit, vt in Ecclesia Catholica permaneat, & fide per charitatem operante Deo omnipotenti seruiat.*

Quartò, vbi satis institutus fuerit, præscribetur ei dies,

quo à patrino adducatur ad ecclesiam, vt in eo suppleantur cæremoniæ omissæ.

Vbi autem venerit die præscripto ad fores ecclesiæ vel intra ecclesiam, quæret primùm (etsi illud sciat) quod sit ei nomen, & Patrinus solus respondeat, & quotiescunque nomen petetur, idem faciat. Ad alia verò interrogata, non patrinus, sed ipse adultus solus respondeat.

Si nomen habeat pagani, vel eius qui ab Ecclesia pro sancto non colitur, dicet Sacerdos: Da ei nomen aliud, quale Catholicis communiter imponi solet.

Deinde dicet Sacerdos adulto: N. Quid petis?

Respondebit adultus: Peto mihi adhiberi cæremonias, quas Ecclesia Catholica in administratione baptismi suis adhibere solet.

Sacerdos: Fuistíne aqua naturali baptizatus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti?

Adultus: Nihil aliud scio, & sic accepi ex personis fide dignis. Idem testetur etiam patrinus si nouerit eum.

Sacerdos. Quandoquidem aqua naturali fuisti baptizatus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, secundùm Christi institutionem, ego nec possum nec volo te iteratò baptizare: quia baptismi sacramentum nullo modo iterari potest, sed tantùm supplebo cęremonias cum quibus iam inde à principio Ecclesiæ baptismus administrari solet, easque etiam consueuit antiquitus supplere Ecclesia in iis qui absque illis baptizati fuerunt, vt ex Ruffini historia Ecclesiastica & Augustino satis manifestum est.

His dictis, incipiet, & ter insufflando dicet: Exi immunde spiritus, &c. & reliqua prosequetur prout supià,

prà, præterquam quòd leget aliud Euangelium, videlicet hoc quod sequitur.

Sacerdos: Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sacerdos: Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum. Resp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Respondens Iesus, dixit: Confitebor tibi Domine, Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Resp. Laus tibi Christe.

Expediens autem fuerit, vt cùm dabit crucē in fronte & pectore, item in manu dextra, & quando dicet Ingredere in Ecclesiam Dei, tribus verbis explicet, & interpretetur ei linga vernacula id quod dicit.

Post Epheta, ducet eum ad baptisterium, ibique se vertens ad Occidentem, abrenuntiabit Sathanæ &c. Et conuersus ad Orientem profitebitur fidem.

Omibus autem expletis, antequam eum dimittat, moneat eum dicens: En mi frater, iam Ecclesia te sinu suo complexa est, iam Baptismus tibi est salutaris, qui extra Ecclesiam tibi iam adulto prodesse non poterat. Nihil tibi nunc deest nisi vt perseueres & satisfacias tuæ professioni. Abrenuntiasti Sathanę, noli ei

amplius aurem præbere. Abrenuntiasti omnibus operibus eius, vide ne fecteris mala opera, & præsertim hæresim, cuius ipse, qui mendacij pater est, primus auctor est. Abrenuntiasti omnibus pompis eius, abominare igitur omnes eius satellites, omnes hæreticos & seductores, qui sunt præcursores Antichristi. Porrecta tibi est candida vestis, vt in cogitatione, verbo & opere semper sis purus. Denique & cereus ardens tibi traditus est, vt fide charitate accensa semper resplendeas, & vt homines videntes lucem bonorum operum tuorum, glorificent patrem tuum qui in cœlis est; cumque virginibus sapientibus occurras Christo sponso tuo, & cum eo ingrediaris ad cœlestes nuptias. Tu autem patrine ac patrone, assiste huic clienti tuo, eum docendo & excitando ad ea quæ recta sunt, vt simul habeatis vitam æternam.

Porrò si præsens fuerit Episcopus, potest confirmari, & siue confirmatus fuerit, siue non, ad sacram communionem admitti si ætatem habeat, & putetur bene præparatus.

Prædictus ordo, quoad cæremonias, etiam seruari debet, quandò adultus aliquis se offert ad baptismum. is enim debet diu catechizari & secundum morem veteris Ecclesiæ orationibus ac ieiuniis ad baptismum præparari, eiusque baptisma differri in festum Paschæ aut Pentecostes, nisi aliud necessitas postulet.

Non est autem admittendus adultus ad baptismum, nisi prius consulto Episcopo, aut eius Vicario generali.

RITVS BENEDICENDI AQVAM BAPTISMALEM

extra tempora Paschæ & Pentecostes.

SI contingeret aquam fontis baptiſmalis aliquo caſu deficere vel corrumpi, (quod tamen ſedulò curandum ne fiat) nec aliunde poſſet haberi. Vel ſi puer baptizandus foret in diſcrimine vitæ, & Sacerdos præſens procul exiſtens ab eccleſia baptiſmali, non poſſet habere aquam ſolemniter benedictam, dum tale aut ſimile quid acciderit, Sacerdos extra tempora conſueta poterit vti ſequenti benedicendi formula.

Verſus Dominus vobiſcum. ℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos omnipotens Deus, & in huius aquæ ſubſtantia tuam miſce virtutem, vt abluendus [abluenda] per eam & ſanitatem ſimul & vitam mereatur æternam, Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Reſp. Amen.

Qua oratione finita, dicat:

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

Reſp Qui fecit cœlum & terram.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in charitate Ieſu ✠ Chriſti filij eius, & Spiritus ✠ ſancti. Exorcizo te omnis virtus aduerſarij, omnis incurſio Sathanæ, & omne phãtaſma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, vt fiat fons ſaliens in vitam æternam, & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Dei viui, & Spiritus ſanctus

habitet in eo in remissionem omnium peccatorum.

Postea ponat chrisma in aqua dicens:

Fæcundetur & sanctificetur iste fons hoc salutifero chrismate in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti. Resp. Amen.

Si verò chrisma penes se non habeat, dicat supradicta verba omissis his,

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

PAstor duobus Dominicis diebus qui antecedunt collationem Ordinum, & quoties Episcopus ad ipsius ecclesiam vel aliquam ipsi vicinam accessurus est, præmoneat populum, vt illi qui nondum confirmati sunt, ad hoc sacramentum suscipiendum diligenter se præparent, indicato die & loco quo illud Episcopus conferet. Declaret quoque effectum eius esse, quòd baptizatos aduersus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus reddat fortiores, eorum animum in fide omnino confirmet ad glorificandam nomen Domini, tam fidei professione quàm exemplo bonorum operum. Ideoq; & sacramentum Confirmationis dici, & conferri in fronte, loco aperto, per impressionem signi crucis, vt indicetur gratia dari ad hoc, vt manifestè confiteamur nos sub cruce militare, neue aut metu aut verecundia (quorum signum in fronte apparet) abstrahamur à professione Catholicæ religionis, vel officio hominis Christiani, prout promisimus in baptismo.

Sed & fascia candida in frontem obduci & alapam in-

fringi, vt meminerimus verecundiæ quam Christus pro nobis perpessus est, & semper parati simus quamuis iniuriam aut ignominiam pro eius nomine sustinere.

Præterea, quòd hoc sacramentum characterem imprimat, nec poßit iterari non magis quàm Baptismus.

Tantum autem sacramentum summa cum reuerentia & deuotione suscipiendum esse, eosq; qui id suscipiunt, debere esse ætatis septem aut octo annorum, ac distinctè scire Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum. Oportere etiam vt antea sint confeßi, & quoad fieri potest ieiuni.

Item opus esse vt adsit patrinus qui eos præsentet confirmandos, & teneat coram Reuerendiß. D. Episcopo, qui deinceps eis sit futurus loco patris ac ducis spiritualis, ac eos instituat quomodo se habere debeant in pugna aduersus omnes salutis suæ hostes, ac proinde necessarium esse, vt sit ætate maior, vel saltem par, & confirmatus, bene instructus & Catholicus ac bonæ vitæ. Et quia cognationem spiritualem contrahit cum confirmato quem tenet, & patre & matre eius, quod est impedimentum impediens matrimonium contrahendum, & dirimens de facto contractum, vt in baptismo, ideo expedire vt mares à maribus, & femellæ à fæminis præsententur. Conuenit etiam vt hic patrinus idem non sit, qui eum de fonte baptismatis suscepit.

Monendi etiam sunt confirmandi, ne recedant nisi accepta Episcopi benedictione, quam dabit post omnium confirmationem, vtq; secum ferant fascias mundas iustæ latitudinis ac longitudinis, quas tertio die à confirmatione curent sibi deponi, frontemq; sale confricari & aqua lauari per Sacerdotem; qui fascias conseruabit ad sacros cineres in diem Cinerum, aut

mox exuret, & cineres cum aqua lotionis in piſcinam mittet.

Accedant etiam facie bene lota, & crinibus circa frontem attonſis aut bene diſpoſitis, iunctiſq; manibus recipiant tantum ſacramentum. Moneantur etiam patrini & matrinæ, ne quid dent iis quos præſentârunt, ne pueri hac illecebra attracti repetant ſacramentum.

DE SPONSALIBVS.

SPonſalia celebranda ſunt ab alterius contrahentium Parocho aut alio ſacerdote de eius conſenſu.

Item celebrentur in loco ſacro & contrahentes ſint ſobrij.

Si contrahentium parentes non adſint vel tutores, vel alij eorum loco, non debet Parochus temerè procedere.

Sit autem Parochus indutus ſuperpelliceo & ſtola, & inquirat an deſponſandi ſint debitæ ætatis, videlicet maſculus quatuordecim, & puella ad minus duodecim annorum.

Inquirat etiam parochus, an deſponſandi ſint Catholici, velintq; permanere in fide Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ſiq; ſint de hæreſi ſuſpecti vel alter eorum, declaret ſe eos non admiſſurum, niſi priùs abiurata hæreſi & facta fidei Catholicæ profeſſione,

Item an ſint confirmati & nouerint Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Decem præcepta Decalogi, quinque præcepta Eccleſiæ Si reſpondeant negatiuè, moneat eos vt omnia illa addiſcant, & ſacramentum Confirmationis ſuſcipiant, alioquin non admittendos ad matrimomium.

Item petat ab eis, an votum fecerint de perpetua conti-

nentia, vel alij alicui dederint fidem super futuro coniugio? An nō sint consanguinei, affines, vel inter se coniuncti cognatione spirituali aut publica honestate, aliaq; eis proponat matrimonij impedimenta, quibus verisimiliter possent esse impliciti, prout habentur in Synodo diœcesana, vtq; iurent se nescire vllum eorum vel aliquod simile impedimentum quo minus possent simul legittimum inire coniugium, præcipiatq; consanguineis & amicis astantibus sub pœna excommunicationis, vt si nouerint esse inter eos canonicum aliquod impedimentum, illud aperiant.

Denique sciscitatus nomen & cognomen vtriusque, desponsandum prius compellans ex nomine & cognomine, eum interroget:

Num eò venerit libera sua voluntate, à nullo coactus, vt promitteret se accepturum in sponsam N præsentem. Illo affirmatiuè respondente, similiter rogabit sponsam. Qua idem respondente, apprehensis dextris vtriusque, eas coniunget & dicet:

Et ego tanquam minister Ecclesiæ Dei, eius nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto & approbo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Deinde moneat desponsos & præcipiat, vt infra quadraginta dies procedāt ad matrimonium promissum in facie Ecclesiæ contrahendum; & ne antea sub eodem tecto habitent, nec inter se carnale commercium habeant, aut denique ita alter cum altero versetur, vt fornicationis periculum aut suspicio subesse possit, sed vt diligenter orent, & aliorum orationes procurent, ac triduo ante solemnizationem sua peccata confiteantur, & se ad sumptionem Eucharistiæ

parent, quo cum maiore gratia matrimonium iam promissum contrahant, contractumque debitè conseruent.

Deinde inquirat à desponsis vbi maiorem ætatis partem degerint, declaretque ipsis quibus locis procurare debent bannorum suorum proclamationes; videlicet, non solùm in iis in quibus nunc habitant, sed etiam in iis omnibus in quibus post pubertatem vltimis annis habitauerunt innupti, & quomodo de illis proclamatis, & nullo impedimento denunciato attestationem exhibere debent.

Post hæc describat Parochus nomina desponsorum ac testium, diemque & locum quo sponsalia sunt contracta.

Si vnus desponsorum sit alterius parochiæ, tunc pastor coram quo contracta sunt sponsalia, scribet pastori illius parochiæ huiusmodi sponsalia esse a se celebrata, bannorum proclamationes esse faciendas.

Proclamationes autem bannorum ita faciendæ sunt, vt tribus diebus Dominicis aut festis continuis vno ad minimum die medio à se distantibus in ecclesia infra missarum solemnia publicetur personas istas N. & N. *sponsalia inter se iniisse, mandeturque omnibus & singulis ex authoritate Reuerendissimi Episcopi sub excommunicationis pœna, vt, si quod canonicum impedimentum nouerint, aut iustè dubitauerint esse, ob quod ad matrimonium inter se ineundum admitti non debeant, id statim significent.*

Si verò fuerit aliquis, qui se opponat futuro matrimonio, vel denunciet canonicun impedimentum, parochus ipsum opponentem vel denunciantem & desponsos (etiam si postea conuenerint) indicabit mox Reuerendissimo aut eius Officiali, & sine ipsorum licentia ad matrimonij solemnizationem

non procedet. Idem faciet quando rumor aliquis publicus erit de aliquo impedimento.

Nullo autem interiecto impedimento, post proclamationem bannorum, cùm desponsi non sunt eiusdem parochiæ, Parochus cuius non est facere solemnizationem, id significabit pastori alteri, simul addens parochianum suum Catholicum esse, factaq; peccatorum suorum confeßione, acceptaq; Eucharistia, se debitè ad matrimonij gratiam præparasse

Si verò desponsi sint diuersorum Episcopatuum, aut decanatuum, litteræ dicti Pastoris corroborandæ erunt Episcopi licentia seu dispensatione.

Cùm desponsi, triduo ante matrimonij selemnizationem, venerint ad confeßionem, Parochus sedulò eos instruet in confeßione, quomodo se in matrimonialibus erga se mutuo officiis gerere debeant, cum Dei timore, mutuo amore & sanctimonia, iuxta illud Pauli, Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus, & vnusquisque vestrûm sciat vas suum poßidere in sanctificatione & honore; non in paßione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum, *&c.* Non enim vocat nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 1. Thes. 7

Quòd si intellexerit ex confeßione aliquod secretum impedimentum matrimonij futuri, conformet se constitutioni Synodi diæcesanæ tit. de matrim. cap. 10.

Quando autem altera desponsarum personarum alterius est diæcesis, aut persona ignota & vaga, inhibetur Parocho sub pœna suspensionis à diuinis, ne ad matrimonij solemnizationem procedat, nisi priùs obtenta Episcopi licentia.

RITVS SOLEMNIZANDI

MATRIMONIVM.

PRædictis itaque omnibus ritè obseruatis, habitaq; dispensatione, si vnus desponsorum sit alterius diæcesis; & si tantùm alterius parochiæ, attestatione alterius Parochi de bannis proclamatis, de fide sui parochiani & cõfessione facta & Eucharistia accepta, vbi desponsi, comitantibus propinquis & amicis, vel saltem duobus, tribus, aut quatuor testibus, debita hora ad ecclesiam venerint, in eum locum in quo matrimonium solemnizari cõsuetum est, accedet ad eos Sacerdos matrimonium solemnizaturus, indutus superpelliceo & stola, iinterrogabitque eos: An eò venerint vt matrimonium nuper promissum in facie Ecclesiæ contrahant? Quibus respondentibus, quòd ita. Subjiciet alta voce, Banna quidem tria, (vel pauciora interueniente dispensatione) esse proclamata, verùm pro maiori securitate, omnibus astantibus adhuc præcipere sub pęna excõmunicationis, vt si nouerint inter desponsos præsentes canonicum impedimentum consanguinitatis, affinitatis, spiritualis cognationis vel simile aliquod, absque mora declarent.

Deinde recipiet iuramentum ab ipsis desponsis, quo mediante affirment, quòd nesciant inter se vllum esse esse impedimentum canonicum.

Si declaratum fuerit impedimentum, Sacerdos non procedet vlteriùs. Si verò nullum fuerit declaratum, Sacerdos dicet se velle, antequam vlteriùs progrediatur,

tur, breuibus explicare ipsis desponsis naturam & cõditiones legittimi matrimonij, vt nouerint quem statum amplexuri sint, & quomodo eum obseruare debeant, habebitque sequentem exhortationem vel similem aut breuiorem pro ratione & conditione temporis.

Vos N. & N. huc accessistis libera vestra voluntate ad contrahendum inter vos matrimonium, vt autem debitè contrahatis coram vestris propinquis & amicis hîc astantibus, vobis obiter declarabo naturam matrimonij, & in quibus consistat. Nosse itaque debetis, matrimonium ab initio fuisse à Deo in paradiso institutum in officium naturæ: Christum verò in noua lege promeruisse suo prætioso sanguine contracturis matrimonium in ipsius nomine certam gratiam, & ex eo fecisse sacramentum, tum ad significandum coniunctionem sui cum Ecclesia, tum ad designãdum per verba & actus contrahentium gratiam quam efficit. Et hinc repetens institutionem factam in paradiso dixit: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fæminam fecit eos.* Et dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Dehinc addit: *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Declarans matrimoniũ omnino esse indissolubile, & inter duos tantùm consistere. Sua etiam præsentia benedixit nuptiis, quando aquam conuertit in vinum: ideoque Paulus dicit esse *sacramentum magnum, idque in Christo & in Ecclesia.* Consistit autem in tribus, quæ sunt, eius bona, fines, & officia, ad quæ obeunda & consequen-

da, vberrimam præstat gratiam. Primum est, bonum prolis; institutum enim est præcipuè matrimonium propter prolem, ad quã obtinendam, mutua fit transslatio corporum, non ad habendam quamuis prolem, quia sic & infideles eam in suo coniugio desiderant, sed ad habendam prolem bonam, quę per baptismum regeneretur, & educetur in timore Dei, & seruiat Deo, & augeat numerum electorum, & possideat vitam æternam. Ad id autem præstandum, coniugibus in hoc sacramento datur gratia vt se mutuò ad hoc iuuent & in hoc toti incumbant, vt bene educetur proles. Vnde Paulus de muliere loquens: *Saluabitur*, inquit, *per filiorum generationem, si permanserint in fide.* Si videlicet operam dederit vt permaneant in fide. Item *Volo iuniores nubere, filios procreare.* 1.Tim.2. 1.Tim.7.

Secundum matrimonij bonum est fides pudicitiæ, qua fit vt coniuges qui per contractum matrimonij sibi mutuo corporum potestatem donant, ad actum coniugalem, inter se fideles sint in redditione debiti matrimonialis, subseruientes mutuæ infirmitati, ne quid peius eueniat, & mori malint quàm leges matrimonij transgredi, thorum maculare, adulterium committere, & sicut corpora, ita & omnia alia inter se habent communia, mutua charitate iuncti, mutuis obsequiis alter alterius onera ferentes, pacem & concordiam habentes. De hac fide loquitur Paulus: *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem.* Item, *Viri diligite vxores vestras, sicut &* 1.Cor.7. Ephes. 5.

Christus dilexit Ecclesiam. Mulieres viris suis subditæ sint. Ad hanc autem fidem seruandam, Christus suppeditat per hoc sacramentum auxilium gratiæ suæ.

Tertium autem bonum est connubij sacramẽtum, quo fit vt perpetuo vinculo coniuncti maneant coniuges, nec à se mutuo separentur, nec propter sterilitatem, nec morbum, nec deformitatem, nec ob vllum quodcunque accidens quod matrimonio contracto superuenire posset. Idq; est quod Christus dicit: *Quod*
Matt. 19. *Deus coniunxit, homo non separet. Et propter hoc relinquet homo patrem & matrem &c.* Et Paulus: *Præcipio non ego,*
1. Cor. 7. *sed Dominus, vxorem à viro suo non discedere, &c.* Quemadmodum enim coniunctio Christi cum Ecclesia est perpetua, ita vxoris & mariti quamdiu ambo in viuis fuerint. Audiuistis nũc in quibus matrimonium consistat, & quomodo debeat obseruari: videte ergo vt cum timore Domini illud suscipiatis & bene obseruetis, & rogate Dominum (& vos quoque omnes hîc parentes) vt sacramentum hoc fructuosè recipiatis ad honorem & vtilitatem Ecclesiæ & vestram salutem.

Exhortatione facta, petet ab eis annulum & (vbi moris fuerit) aras, seu nummos argenteos vel aureos, qui solent dari tredecim, & quæret an annulus sit benedictus, nã si fuerit benedictus, non debet benedici.

Benedictio arrarum.

Versus. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Resp. Qui fecit cœlum & terram. Vers. Sit nomen Domini benedictum. Resp Ex hoc nunc & vsque in sæculum. Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp.

Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

BEnedic Domine has arras, quas hodie tradit famulus tuus N. in manus ancillę tuę & dilectę sponsę suę N. quemadmodũ benedixisti Abraham cum Sarra, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Rachel, dona super eos gratiam tuę benedictionis, abundantiam rerum, & constantiam operum, vt florescant sicut rosa in Hiericho plantata, & te Dominum nostrum Iesum Christum timeant & adorent in sęcula sęculorũ. ℟. Amen

Deinde aspergantur arræ aqua benedicta & benedicat annulum, dicendo: Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cœlum & terram. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobicum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

CReator & conseruator humani generis, dator gratię spiritualis, conditor æternę salutis, tu Domine emittere digneris Spiritum sanctũ tuum paracletum de cælis, & tuam sanctam bene✠dictionẽ super hunc annulum, vt isti pariter armati virtute cœlesti tuaque protectione defensi, bene✠dictionẽ tuæ manus percipiant in vitam æternam. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Tunc Sacerdos dicet sponso: N. venisti ne huc libera tua voluntate, & à nullo coactus, ad contrahendum matrimonium cum N. hîc coràm stante? *Quo id affirmante,* rogabit similiter sponsam: N. venistíne huc libera tua voluntate & à nullo coacta, ad contrahendum matrimonium cum N. hîc coram stante?

Qua idem affirmante, Sacerdos coniunctis dextris amborum & stola inuolutis, monebit sponsum vt perfectè pronunciet subsequentia:

Ie N. donne ma foy de mariage à vous N. & vous prens pour ma leale espouse & femme.

Deinde sacerdos monebit spõsam vt suo sponso dicat:

Ie N. donne ma foy de mariage à vous N. & vous prens pour mon leal espoux & mary.

Forma dandi fidem matrimonij Flandricè. Pro spõso.

Ick N. gheue v N. mijn manneliicke trouwe/ ende neme v voor mijn wettelijcke huys-vrouwe.

Pro sponsa.

Ick N. gheue v N. mijn vrouweliicke trouwe/ende neme v voor mijnen wettelijcken man.

Data sic vtrimq; fide, dicat sacerdos Et ego, tanquam Dei minister vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti. Amen.

Tunc det Sacerdos annulum sponso & omnes arras seu denarios (si consuetudo loci habeat vt dentur,) & per manum Sacerdotis collocet annulum in quarto digito manus dextræ sponsæ.

Quo facto, aspergat eos Sacerdos aqua benedicta, dicens: Per aquæ benedictæ aspersionem det vobis omnipotens Deus gratiam & bene ✠ dictionem.

Deinde si sint primæ nuptiæ sponsæ, faciat eos Sacerdos accedere ad altare, ibique flexis eorum genibus stola superposita super capita eorum, benedicit eis, dicens:

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ipse sit vobiscum, & ipse vos coniungat impleatque bene ✠ dictionem suam in vobis, Per Christum Dominum

minum noſtrum. Reſp. Amen. Oremus.

BEnedic Domine coniuges iſtos ✠ & ſemina ſemen vitæ æternæ in mentibus eorum, vt quicquid pro vtilitate didicerunt, hoc facere cupiant. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum recuperatorem noſtrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, &c.

Oremus.

BEne ✠ dic & reſpice de cœlis ſuper hanc coniunctionem, vt ſicut miſiſti angelum tuum Raphaëlem pacificum ad Tobiam & Saram filiam Raguelis, ita digneris, Domine, mittere benedictionem ſuper hos coniuges, vt in tua benedictione permaneant, in tua voluntate perſiſtant, & in tuo amore viuant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Poſtea dicat ſacerdos pſalmum ſequentem.

Pſalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es: & bene tibi erit.

Vxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuę.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum: in circuitu mēſæ tuę.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio & nunc & ſemper, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Tunc moneat Sacerdos omnes qui adsunt, vt secum legant Orationẽ dominicam, deprecaturi Dñm pro fęlici successu matrimonij inter præsentes contracti.

Versus. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Saluum fac seruum tuum & ancillam tuam. Resp. Deus meus sperantes in te.

Vers. Mitte eis Domine auxilium de sancto. Resp Et de Sion tuere eos. Vers. Esto eis Domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primos parentes nostros Adam & Euam sua virtute creauit, & in societate sancta copulauit, ipse corda & corpora vestra sanctificet, ✠ & benedicat, atque in societate & amore veræ dilectionis coniungat. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Oremus.

Benedicat ✠ vos Deus, & custodiat ✠ vos Iesus Christus, ostendat faciem suam in vobis & misereatur vestri; conuertat Dominus vultum suum ad vos, & det vobis pacem & sanitatem corporis & animæ.

Resp. Amen.

Impleat vos Christus omni benedictione spirituali, & habeatis vitam æternam, & viuatis in sæcula sæculorum. Resp. Amen.

Postea dicatur Missa vt in Missali de sponso & sponsa, quæ incipit, Deus Israel coniungat vos. cum Col-

lecta & precibus, prout ibidem habentur. Dominicis tamen ac festis diebus vbi tantùm est vnica Missa parochialis, dicatur Missa de Dominica aut festo cum commemoratione nuptiarum, additis etiam orationibus Propitiare. & Deus qui potestate, cum cæteris ad nuptias pertinentibus.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

Secundæ nuptiæ non debent benedici, quando sponsa est vidua, ac proinde benedictiones supradictæ, tam illæ quæ fiunt in Missa, quàm ante Missam, sunt omittendæ.

Itaque in talibus nuptiis (post breuem aliquam exhortationem, si adhibenda videatur) fiet benedictio annuli & arrarum, dabuntque sibi mutuo fidem iisdem verbis quibus suprà, & tradentur annulus & arræ sponsæ vt est supradictum, iuxta loci consuetudinem.

Quibus peractis, sponsus & sponsa venient ad altare, ibique pro eis genua flectentibus, nullo tamen velo coopertis orabit sacerdos dicens psalmum sequentem. Psalmus 124.

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion: non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.

Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis & rectis corde.
Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem : pax super Israel.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Vel Psalmum 66. sequentem.

DEus misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.
Vt cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.
Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper. &c.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Hîc moneat Sacerdos omnes præsentes, vt secum orent Orationem Dominicam pro fęlici successu matrimonij.

Versus. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Manda Deus virtuti tuæ.
Resp. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Vers. Saluum fac seruum tuum & ancillam tuam. Resp. Deus meus sperantes in te. Vers. Mitte eis Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eos. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRætende, quæsumus Domine, fidelibus tuis dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde exquirant, & quæ dignè postulant, assequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Tunc celebratur Missa de Trinitate, de Spiritu sancto, vel de Domina, quam audient, & recedent.

Quia interdum per malitiam hominum accidit, vt recèns coniugati maleficio impediti, matrimonium consummare non possint, quære infrà in tertia parte certas orationes pro eorum liberatione.

Interdum etiam contingit mulierem esse infœcundam, vnde multum tam ipsa quàm maritus eius cruciantur, variaq; quærunt remedia, etiam interdum superstitiosa, itaq; vt in tali necessitate ad Dominum confugiant, cuius solius est fæcunditatem dare, infrà in tertia parte reperientur preces quædam ad sterilitatem pellendam.

Item quando mulier prole concepta prægnans est, & de eius periculo dubitatur, magna est afflictio. Quocirca vt in hac tribulatione Deus inuocetur & ab eo omne auxilium expectetur, infrà in tertia parte ponitur certa benedictio.

Dum autem mulier in lecto sui puerperij grauiter laborat, nec potest accedere templum, non est domi purificanda, nec etiam si moriatur, alia mulier substituenda, quæ eius loco pu-

rificetur. Nam purificatio extra ecclesiam facienda non est, & tunc demum quando mulier puerpera post partum primò domo egreditur. Nihilominus tamen, vt etiam mulier in hoc periculo constituta sit bono animo, & consideret adiutorium suum esse in nomine Domini, infrà in tertia parte ponitur certa benedictio & preces, quibus vtetur Sacerdos ad consolationem eius, vbi ad id fuerit requisitus, declarans ei quòd si conualuerit, primo è domo egressu accedere debeat templum gratias actura & purificanda eo modo qui sequitur.

DE PVRIFICATIONE MVLIERIS POST PARTVM.

PRima vice qua mulieres à puerperio exeunt, ad ecclesiam rectà se conferant, gratias acturæ Deo pro beneficio puerperij.

Mulieres autem quæ pepererunt non ex legitimo matrimonio, purificationis benedictione à Pastore honorãdæ non sunt, nisi permissu Episcopi aut Decani Christianitatis loci.

Quando ergo mulier stato à partu die secundùm loci consuetudinem ad templum purificanda accedit, Parochus vel eius vicarius superpelliceo ac stola indutus, eam stantem ad ostium ecclesiæ, aspergat aqua benedicta, dicens:

Per aquæ benedictæ aspersionem det tibi Dominus omnipotens gratiam & benedictionem.

Deinde porrecta stola ex collo dependente, introducat eam dicens: Dominus custodiat introitũ tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Deinde

Deinde monebit eam de tribus, videlicet,

Vt gratias Deo agat quòd eam liberauerit à periculo ac fęlicem partum donauerit. Deinde vt prolem suam Deo offerat, rogans vt dignetur eam accipere in suam protectionem, largiriq; gratiam vt educetur in timore eius ac Catholica religione, & proficiat virtute & ætate. Denique vt diligentem suæ prolis curam gerat, néue eam adhuc teneram secum in lecto collocet, ne inter dormiendum suffocetur; & sedulò aduigilet, ne sua negligentia in ignem aut aquam cadat, aut ab animalibus lædatur aut occidatur, & commendet eam diuæ Mariæ virgini & cunctis Angelis sanctis, vt ab omni infortunio conseruetur.

Breui hac vel simili monitione facta, ducet eam ad altare, ibique super eam genua coram altari flectentem, vtraque parte stolæ posita super caput eius, dicet psalmum sequentem.

Psalmus 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino: qui fecit cęlum & terrã.

Non det in commotionem pedem tuum ✝ neque dormitet qui custodit te.

Ecce, non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula seculorum. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Versus. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Saluam fac ancillam tuam. Resp. Deus meus sperantem in te. Versus. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eam. Versus. Nihil proficiat inimicus in ea. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers. Esto ei Domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Versus. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, bene ✠ dicere digneris hanc famulam, quæ ad imitationem sanctissimæ virginis Mariæ sese cum gratiarum actione purificandam in templo exhibet, & concede propitius, vt sicut ei prolis fæcũditatem, & vires templum tuum ingrediendi contulisti, ita per intercessionẽ eiusdem immaculatæ virginis ab omni mentis & corporis contagio liberatam, ad sancta sanctorum pura facias mente accedere, & post finem præsentis vitæ templum cęleste introire. Per eumdem Christum Dominum. Amen.

Postea dicat: Benedicamus Dño. ℟. Deo gratias.

Benedictio Dei Patris ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper te & maneat ſemper. Reſp. Amen.

Sacerdos ſi ſit celebraturus miſſam pro ea, tunc induitur ſacerdotalibus indumentis, & celebrat miſſam occurrentis diei vel aliam votiuam iuxta deuotionem mulieris, aptiſſimè autem huic laudis officio congruit miſſa in Purificatione B. Mariæ, quæ incipit: Suſcepimus. quæ ſi legatur, omittetur in collecta; hodierna die, qua finita, dimittetur mulier cum benedictione Domini in pace.

Quòd ſi ad celebrandam Miſſam neque Paſtor, neque alius Sacerdos haberi poſſit, tunc Parochus poſt iam dictam collectam addet Euangelium In principio erat verbum. &c. aut potius, Poſtquam impleti ſunt, &c. & dicet: Verſus. Dominus vobiſcum.

Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Verſ. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Reſp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Hieruſalem vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. Et vt darent hoſtiam (ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini) par turturum, aut duos pullos columbarum. Reſp. Laus tibi Chriſte.

Verſ. Poſt partum virgo inuiolata permanſiſti.

Reſp. Dei genitrix intercede pro nobis. Oremus.

DEus, qui hanc famulam tuam de pariendi periculo liberaſti, & eam in ſeruitio tuo deuotam feciſti, concede, vt temporali curſu fideliter peracto,

ſub alis miſericordię tuę vitam quietam & perpetuam conſequatur. Per Chriſtum Dñm noſtrum. Amen.

Vel Deus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper ſancta conſolatione gaudere.

Item, Deus qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fecunda humano generi prĕmia prĕſtitiſti, tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

Deinde Sacerdos præbet ei oſculandam crucem libri ſacramentalis vel Miſſalis, dicendo:

Verſus Dominus det tibi ſuam pacem.

Reſp. Et vitam ęternam.

DE OBSTETRICIBVS.

NOn debent admitti vllæ obſtetrices niſi allato ſynceritatis fidei & vitæ teſtimonio, & niſi per Paſtorem priùs examinatæ, ſiq; opus fuerit, inſtructæ in iis quæ neceſſaria ſunt ad ritè baptizandos infantes in neceſſitate, & niſi iuramentum præſtiterint coram Magiſtratu, quòd pueros baptizandos ante diem tertium Parochis denuntiabunt.

MODVS ADMINISTRANDI SACRAMENTVM PÆNITENTIÆ SANIS.

NEmo, cuiuſcunque conditionis ſit, ſæcularium confeſſiones audire poteſt, niſi vel beneficium habeat cui cura ani-

marum

marum annexa est, vel facultatem eas audiendi ab Episcopo in scriptis acceperit.

Sacerdos audiens confessiones, sit indutus superpelliceo & Regulares in habitu sui Ordinis saltem in ecclesia.

Extra necessitatem non audiantur confessiones nisi in ecclesia, atque in loco publico & claro, & si tenebræ sint, curabit lumen accendi.

Sedes autem confessionalis sit alta ab vtraque parte, habens cancellos per quos confitentes audiantur, habentes faciem auersam a confessario.

Confessarius excipiens confessiones quorumcunque etiam maximorum Prælatorum, siue Principum, semper debet sedere capite cooperto.

Nulla autem inter volentes confiteri fiat compressio, & eo modo sit prædicta sedes collocata, vt nemo præter solum Sacerdotem possit intelligere quid dicat confitens.

Confessarius nullo modo multorum puerorum simul confessiones audiat, id enim improbum & sacrilegum est.

Item, ne immisceat confessioni ea quæ ad confessionem, aut subditorum salutem non pertinent, neque à confitentibus admisceri sinat.

Dum parui pueri, qui nondum rationis capaces sunt, adducuntur ad confessionem, non debet eis sacerdos dare absolutionem sacramentalem.

Accessurus autem Sacerdos ad audiendas confessiones, vt eas, diuina ope adiutus, debitè & cum fructu audiat, dum ei integrum fuerit, poterit dicere sequentem orationem cum his versibus psalmi 50.

Versus. Cor mundum crea in me Deus.

Resp.

Resp. Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.
Verſ. Ne projicias me à facie tua.
Reſp. Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.
Verſ. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.
Reſp. Et ſpiritu principali confirma me.
Verſ. Docebo iniquos vias tuas
Reſp. Et impij ad te conuertentur.
Verſus. Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. Reſp. Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, vt dignè poſſim tibi gratias agere, quòd me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti ſacerdotalis officij, & me exiguum humilemque ſacerdotem, mediatorem conſtituiſti ad orandum & intercedendum ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum pro peccatoribus & ad pænitentiam reuertentibus. Ideoq́, Dominator Deus, qui omnes homines vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuę pro peccatis meis, & pro famulis & famulabus tuis, qui ad pęnitentiam venerunt, vt det illis ſpiritum compunctionis, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, quibus aſtricti tenentur, & ad te per condignam ſatisfactionem reuertantur. Per eumdem Chriſtum Dominũ noſtrum. Amen.

Vel dicat aliam breuiorem orationem pro ratione temporis & opportunitatis.

Oratione dicta, si is qui vult confiteri non sit notus, ante omnia inuestiget an sit ipsi subiectus; quia alioqui non posset eius confessionem audire, nisi habita facultate pastoris ipsius aut Episcopi.

Qui verò peregrinantur, foras proficiscuntur, aut incertis sedibus vagantur, à confessariis illorum locorum ad quæ diuertunt, semper audiri possunt.

Si autem pœnitens sit rudis, nec bene se habeat in genuflexione aliisq; exterioribus, doceat eum sacerdos maxima qua poterit humanitate, vt reuerenter se componat, confessionem Deo fieri, cumq; magna verecundia & humilitate faciendam esse, ac proinde si pœnitens comptus & indebitè ornatus aut indecentibus vestibus indutus sit, reprehendat eum ac moneat ne deinceps eo modo ad confessionem accedat. Si armis forte accinctus sit, moneat vt ea submoueat.

Deinde dicat ei vt petat benedictionem dicendo: Benedic pater. Dataque benedictione, dicendo: Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, vt dignè confitearis peccata tua, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Doceat eum munire se signo crucis, (nisi sponte faciat) & simul cum eo dicat generalem confessionem vsque ad hæc verba,

Tunc petat de tempore à quo non est confessus, nec communicauit, ad quod omnes qui attingunt discretionis ætatem, tenentur, certè semel in anno circa festum resurrectionis.

Item, cui fuerit confessus, nam si confessus fuisset sacerdoti non habenti potestatem eum audiendi, confessio esset nulla, debetq; repeti.

Item, an integrè confessus fuerit, nec vllum peccatum

mortale subticuerit, quia confessiones non integrè factæ, sunt nullæ; ac proinde si id accidisset, deberet Sacerdos confitentem blandè monere, ut diligenti examine facto vitæ anteactæ ab eo tempore, quo illud peccatum in confessione cælauit, redeat ad confessionem faciendam etiam eorum peccatorum mortalium, quæ in confessionibus non integris confessus fuerit. Similiter faciendum erit, si percipiat eum diuisisse confessionem, & uni unam, alteri alteram partem suorum peccatorum fuisse confessum. Sic etiam si nullo penitus cum dolore, nullóue deliberato emendandi proposito fuerit confessus. Siq; diu vixerit in malo vitæ statu, & tamen singulis annis eo modo viuens confessus sit, hortetur ut generalem vitæ faciat confessionem.

Petat etiam, an pœnitentiæ iniunctæ satisfecerit.

Item, si sit simplex & idiota, an nouerit articulos fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta decalogi, & sanctæ matris Ecclesiæ, quæ si ignoret, nec paratus sit quamprimum discere, remittendus est, ut qui non sit absolutionis capax, (nisi ob certas circumstantias prudens confessarius pro ea vice eum admittendum iudicet.) Similiter si in alia confessione id ei præceptum fuerit, nec interea operam quam potuit adhibuit, ad ea perdiscenda, differenda est eius confessio.

Sic etiam regulariter agendum est cum iis, qui in priore confessione promiserunt se restituturos, cumq; eis non desit facultas, tamen redeunt iteratò ad confessionem non facta restitutione.

Petat quoque cuius status & conditionis sit, quam artem tractet, quod officij genus quamplurimum exerceat, tum ut ex propriis tunc possit eum postea interrogare, tum ut

ſi deprehendat eum illicitam artem aut officium exercere, blande eum admoneat, vt officio illo depoſito, tunc demum ad confeßionem veniat.

Sic etiam, ſi concubinarius ſit, vel illicitè plura beneficia imcompatibilia poßideat, vel in alio aliquo publico peccato verſetur, vel odium aut inimicitias contra aliquem retineat, nec ſit paratus reconciliari, debet prius actu reliquiſſe ſtatum peccati, & paratum eſſe reconciliari, antequam ad confitendum admittatur.

Item, ſi videbitur pænitens talis, qui potuiſſet incurriſſe excommunicationem aut caſum reſeruatum, inquiratur id in principio, vt ſi Sacerdos poteſtatem non habeat ab huiuſmodi abſoluendi eum, remittat ad Epiſcopum, Pænitentiarium, aut eum quem ſcit illam poteſtatem habere, vel ipſemet petat facultatem à ſuperiore eum ab his abſoluendi.

Caſus antem reſeruati declarantur in Synodo dioceſana, titulo De Pænitentia, cap. 17. *ibiq; quærendi ſunt.*

Denique petat, an debitè conſcientiam ſuam examinauerit ad hanc confeßionem faciendam; quod ſi neget, dimittatur in aliud tempus, ſi videatur rediturus. Si non putetur rediturus, iuuetur quoad fieri poteſt, cum admonitione, vt aliàs paratior redeat.

His interrogationibus omnibus vel aliquibus factis prout iudicabit Sacerdos fore expediens, hortandus eſt pęnitens vt ordine debito, vel prout melius poteſt, omnia ſua peccata confiteatur. Omnia enim peccata mortalia recenſenda eſſe, numero etiam illorũ (quantum humanæ fragilitati poſſibile eſt) explicato, cum circumſtantiis quæ mutant ſpeciem aut in infinitum,

ſeu mortaliter aggrauant; certaque dicenda vt certa, dubia vt dubia.

Proponat ei miſericordiam Dei, & efficaciam paßionis Chriſti exemplaq; magnorum peccatorum, vt Manaſſe, Petri, Pauli, Mariæ Magdalenæ, Latronis, & aliorum qui veniam conſecuti ſunt Addat etiam nihil propter pudorem reticendum, Deo enim omnia nota & clara eſſe, eum vocare ad ſe omnes qui laborant & onerati ſunt vt reficiat eos, & requiem habeant. *Aliud non eſſe remedium quo liberetur à morſu & verme conſcientiæ. Peccata quoque mortalia quæ in confeßione cælauerit, manifeſtanda fore cum ſumma confuſione coram angelis Dei & vniuerſo mundo, tempore extremi iudicij. Sigillum quoque ac ſecretum confeßionis maximum eſſe.*

Matt. 11.

Quamdiu verò dixerit quiſque quod meminit, eum attentè audire oportet, & ſine interruptione, niſi fortè videretur monendus obiter (ſi erraret in eo,) ne nominet perſonam aliquam, vel ne dicat ſuperflua & ad rem non pertinentia, vel ne iactabundus & velut rem geſtam vel hiſtoriam narrans, ſed animo accuſatorio gemebundus dicat peccata ſua.

Poſtquam verò dixit quod per ſe dicere potuit, ſi non videtur omnia quæ neceſſariò dicta, oportuit dixiſſe, tenetur Sacerdos eum interrogare. Nam, vt eſt in Concilio Lateranen. Cap. 21. oportet vt Sacerdos ſit diſcretus & cautus, vt more medici periti, ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, *diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat quale illi conſilium debeat exhibere, & cuiuſmodi remedium adhibere diuerſis experimentis vtendo ad ſanandum ægrotum.*

Quòd si mox ab initio cupit pænitens interrogari nullo declarato peccato, dicat Sacerdos, vnumquemque ad sui acusationem teneri; Confessionem enim esse sacramentalem peccatorum accusationem, & scire debere in quo offenderit Deum, & quomodo vitam suam transegerit. *Si verò non possit à pænitente obtineri, vt suas ipse non interrogatus dicat iniquitates, non erit rejiciendus, sed interrogationes adhibendæ.*

Interrogatorium autem instituendum est certo ordine, procedendo secundùm decem præcepta, septem peccata mortalia, & nouem aliena.

Oportet autem incipiat interrogationes suas ab iis quæ confessus est pænitens, nec tamen sufficienter declarauit, vtpote, confessus est de peccato luxuriæ, inquirendum an illud commiserit in seipso per mollitiem, an in alia persona, & cuiusmodi illa fuerit, an videlicet libera, virgo, coniugata, &c. Si cum coniugata, an secuta proles. Si confessus sit se furtum commisisse, vel rem alienam detinere, vel damnum dedisse proximo, rogandus est de quantitate. Si dixit se mentitum, de specie mendacij, an perniciosum, iocosum, an officiosum. Si de prauis cogitationibus, rogandus est de qualitate earum, & an consenserit in actum, vel morosam in eis habuerit ac voluntariam delectationem. Quod si confiteatur, quærendum de circumstantiis personæ, &c. Nam peccata cogitationis eamdem speciem constituunt quàm peccata operis. Et eousque semper procedere debet interrogatio, quoad nouerit speciem peccati, & an mortale sit an veniale. Et si mortale sit, quoties iteratum fuerit saltem probabiliter. Item, an tale sit vt requirat restitutionem.

Præterea, oportet (*vt inquit Concilium*) Parochum

esse discretum, non omnia omnes interrogare, sed vnumquemque pro sua qualitate & conditione, *ea etiam quæ non sunt communiter nota, potissimum in venereis, non explicitè interrogare, ne doceat pænitentem quæ nescit. Habita etiam peccati specie, in talibus progredi vlterius non expedit.*

Si autem contingeret, quòd per interrogationes non posset à pænitente alicuius peccati elicere confessionem, debet ei declarare, vt agnoscat & confiteatur se peccasse, quòd non magis obseruauerit vitæ suæ actiones, nec maiorem dederit operam, vt debitè de peccatis doleret ac pæniteret. Item, vt doleat de omnibus incognitis quæ à postrema cõfessione potuit commisisse, idq́ue generatim. Deinde petat ab eo an si occurrerẽt aliqua, paratus esset de iis speciatim dolere ac confiteri. Eo modo affectum adhibita salutari institutione, quam deinceps sequi velit, poterit admittere ad absolutionem.

Si pænitens non fuerit confessus peccatum aliquod quod confessarius scit illum commisisse, si nouerit ex confessione alterius, se geret ac si ignoraret illud; tamen de eo interrogabit, modò tale sit de quo confessarij communiter solent interrogare, siq́ue nolit confiteri, absoluat eum. Si verò aliter nouerit, faciet ei conscientiam, & si non æstimet peccatum esse, cùm certum sit esse peccatum mortale, non debet eum absoluere quamdiu manet in eo statu.

Si multum doleat pænitens, ante oculos ei ponet Sacerdos misericordiam Dei infinitam, meritum paßionis Christi inexhaustum, exempla peccatorum conuersorum de quibus Scriptura meminit, declarabitq́ue nullum tam graue, tam diuturnum esse peccatum, quin Christus suo sanguine mox velit obliterare

Si verò

Si vero Sacerdos percipiat pænitentem non habere veram contritionem, proponet ei mortem instantem, iudicij & inferni timorem, deinde quod per singula peccata mortalia amittimus præmia æterna, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, *& incidimus in pœnas inferni, quæ & maximæ sunt, & omnem intelligentiam superant. Præterea separamur à gratia & amicitia Dei, & quamdiu in eo manemus, desinimus esse filij Dei, efficimurq́; filij iræ & filij diaboli, nihil possumus mereri, & omnium bonorum operum anteactorum iacturam facimus. Quartò, quantum in nobis est, sanguinem Christi conculcamus, mortemq́; ac omnes eius passiones & labores vilipendimus, cùm ipse venerit in hunc mundum, traditus ac mortuus sit, vt liberaret nos à peccatis. Denique consideret, quòd singulis peccatis mortalibus etsi non affectu, tamen effectu neget Deum esse Deum suum, quia ei præfert creaturas, nec eum habet pro vltimo fine. Cogitet ergo si dixisset Regi: Nolo te habere pro Rege, quantum laboraret ad obtinendam veniam, & ea obtenta, vt non incideret in similem excessum.*

1.Cor.2. Hebr.10 1. Tim.1. Rom. 4. Apoc.1.

Vbi autem pænitens responderit se multum dolere de peccatis commissis propter offensam Dei, seq́; dolere quòd non magis de eis doleat, quodq́; nullam ob causam vellet denuo peccatum mortale committere, proponens illud omnino vitare, omnesq́; eius occasiones, cupiens restituere restituenda, reconciliationem facere cum proximo læso, dimittere odium & rancorem, &c.

Tunc dicat ei Sacerdos, vt concludat ſuam confeſſionem, dicens: Et de cunctis aliis vitiis dico meam culpam, & precor, &c. vſque ad finem confeſſionis generalis,

neralis, eique iniungat sacramentalem satisfactionem quæ imponi debet ante absolutionem.

Quales autem pœnitentiæ iniungendæ sint, præscribit Synodus diocesana, *tit. de pænit, cap.* 13.

Post iniunctam pænitentiam primùm dicet hanc orationem.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te in vitam æternã. Amen. Iudulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus.

Deinde pro absolutione.

Dominus noster Iesus Christus qui est summus pontifex te absoluat, & ego eius auctoritate imprimis absoluo te ab omni vinculo excõmunicationis in quantum possum & indiges: deinde eadem auctoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Vbi autem opus erit, dicet hoc modo:

Dominus noster, &c. ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, &c.

Deinde subiunget:

Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita beatæ Mariæ semper virginis & omnium sanctorum, quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Caueat Sacerdos, ne in impendenda absolutione pluribus vtatur verbis, vtpote dicendo: Absoluo te à peccatis tuis confessis, contritis & oblitis. vel illis:

Abſoluo te à peccatis tuis in quantum poſſum & indiges. aut his: Abſoluo te à peccatis tuis Deo & mihi confeſſis. vel, Abſoluo te ſi reſtitueris & pęnitentiam egeris. Hæc enim ad formam non pertinent, & oportet ſacramentorum formas ſimpliciſſimas eſſe.

Conueniens autem eſt, quamuis non ſit omnino neceſſarium, vt abſoluens manum ſuam imponat capiti pænitentis, quoniam inter cæteras impoſitionis manuum obſeruationes, vetus Eccleſia impoſitione manuum vti ſolet in abſolutione pænitentium.

Et dimittens confeſſum poterit dicere: Vade, & iam noli amplius peccare. vel, Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.

Iubilæi tempore quando Sacerdotibus ab Ordinario probatis largiſſima abſoluendi facultas cõceditur, pauciſſimis mutatis, ſic eſt proferenda abſolutionis forma.

Dominus noſter Ieſus, &c. Et ego eius auctoritate & ex Apoſtolica commiſſione abſoluo te ab omni vinculo tam maioris quàm minoris excõmunicationis, ab omnibus quoque eccleſiaſticis cenſuris, ſi quas incurriſti, & eadem auctoritate abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Caueat autem omnino ſacerdos, ne verbo aut ſigno, aut alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem, ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud abſque vlla perſonæ expreſſione cautè requirat. Quoniam qui peccatum ſibi in pænitentiali iudicio detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendus, verum etiam ad augendam perpetuam pænitentiam, in monaſterium detrudendus eſt.

FORMA ABSOLVENDI

EXCOMMVNICATVM.

SI Sacerdos facultatem a ſuo ſuperiore acceperit abſoluendi pænitentem in foro conſcientiæ ab excommunicatione maiore quam incurrit ob certum caſum, hac forma vtetur:

Ego virtute commiſſionis mihi datæ te abſoluo à ſententia excommunicationis maioris quam incurriſti, (hîc exprimat cauſam vnde excommunicatio proceſſit) deinde abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Si verò Sacerdoti ſit ſpecialis commiſſio data abſoluendi aliquem à ſententia excommunicationis in foro exteriore, imprimis requiret ab abſoluendo, vt Eccleſiæ ſe legibus & Superiorum decretis atque auctoritati in poſtrum ſubjiciat. Tum illo genuflexo, & teſtibus (ſi res ita poſtulet) adhibitis, dicetur Antiph.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra vel parentum noſtrorum, neque vindictã ſumas de peccatis noſtris.

Deinde dicto pſalmo Miſerere mei Deus, vt infrà in 2. parte pag. 38. leguntur ſequentes preces.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp Sed libera nos à malo. Verſ. Saluum fac ſeruum tuum. Reſp. Deus meus ſperantem in te. Verſ. Nihil proficiat inimicus in eo. Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Verſ. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Reſp. A facie inimici. Verſ Domine exaudi

oratio-

orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat.
Vers. Dominus vobiſcum. Resp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, vt hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] quem [quam] excommunicationis pœna conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde ſubiungat hanc formam.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego authoritate vel Pontificis maximi, vel Ordinarij tui abſoluo te à vinculo excommunicationis maioris in quam incidiſti propter, &c. hîc exprimat cauſam propter quam inflicta eſt excommunicatio. & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amē.

Si quis ad Sacerdotem mittatur propter irregularitatem, vt ab impedimento illo in foro conſcientiæ liberetur, non vtetur Sacerdos verbo Abſolutionis, *dicendo:* Abſoluo te ab irregularitate (*cùm irregularitas non ſit cenſura, ſed eccleſiaſticum impedimentum*) *ſed verbo* Diſpenſationis *vtetur, dicendo:* Ex commiſſione mihi facta, diſpenſo tecum ſuper irregularitate ex hac vel illa cauſa contracta, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen.

Si vero contingat aliquem abſolui à vinculo excommunicationis maioris, ob periculum mortis à Sacerdote à quo aliàs abſolui non poterat, debet ei iniungi, vt ceſſante periculo, & ſi conualeſcat, ſe præſentet illi qui poteſtatem abſoluendi habet ab illa excōmunicatione, percepturus eius man-

datum, quodq; alioquin reincidet in eandem excommunicationem.

MODVS ADMINISTRANDI

SACRAMENTVM PÆNITENTIÆ

ÆGROTIS.

IMprimis moneat Sacerdos medicos, ne alicuius ægroti decumbentis suscipiant curam, nisi priùs aduocato confessario reconcilietur Domino Deo, iuxta constitutionem Concilij generalis Lateranensis & Bullam Pij quinti. Similiter admoneat moniales ægrotis assistentes, vt diligenter moneant ægrotos, vt ante omnia Sacramẽtum Pænitentiæ suscipiant.

Audiat autem Parochus confessionem ægroti antequam ad eum deferat Eucharistiam, vt tum ipsi tum ægroto liberum sit tempus ad debitè officium suum faciendum, & ne comitantes in administratione Eucharistiæ diutius detineantur, sitq; indutus toga & stola.

Neque audiat mulieris ægrotæ confessionem, nisi aperto ostio.

Ingressus ad ægrotum, dicat: Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea.

Deinde dicat: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Saluum [uam] fac seruum tuum [famulam tuam.] Resp. Deus meus sperantem in te. Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eum [eam.] Vers. Nihil proficiat inimicus in eo [ea.]

Resp.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare di[illegible]tus es, te supplices rogamus & petimus nos humiles tui sacerdotes, vt precibus nostris aurem tuæ pietatis accommodare digneris, vt ad huius pænitentis confessionem mouearis, remittasque ei omnia crimina & peccata vniuersa condones.

Deinde sic alloquetur ægrotum.

CHarissime, consultò facis, quòd ante omnia animæ tuæ salutem cures; Christus enim dixit: *Quærite primùm regnum Dei, &c.* Quid enim est corpus nisi esca vermium? anima verò immortalis est, & ex ipsius salute corporis salus pendet. Nam si anima bene constituta hinc exierit, gloriosè resurget; sin minùs, vnà cum anima præcipitabitur in gehennam ignis. Deinde, sæpius fit, quòd ipsi morbi immittantur propter peccatum, quemadmodum Paulus Corinthiis scribit, quòd multi essent infirmi, & dormirent multi, eo quòd indignè communicassent. Et Dominus languido, quem sanauerat, ait: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Et ad oblatum sibi paralyticum, antequam sanaret, dixit: *Fili confide, remittuntur tibi peccata tua.* Quare in Concilio Lateranensi constitutum est, vt antequam accipiatur medi-

Matt. 6.
Matt. 10.
1. Cor. 11
Ioan. 5.
Matt. 9.

cina corporalis, vocentur medici animarum, vt cessante causa, cesset effectus.

Tertiò, etiamsi adhiberes omnia medicamenta, & vtereris opera præstantissimorum medicorum, nihil te iuuerit, nisi Deus creator & author naturæ tibi adsit: ipse enim dat sanitatem. Ideo oportet ipsi ante omnia reconciliari, & amicitiam eius quærere.

Denique persuasum tibi habe, hunc morbum tibi immissum à Domino, vt admonearis, te dum ex vtero matris nascereris, sentētiam mortis in te latam tecum tulisse, atque ita eius executionem (vt damnati capitis faciunt) omni momento debere expectare. Cogitandum itaque tibi est, te esse aduenam & peregrinum, ne afficiaris rebus terrenis, sed disponas domui tuæ, & ita te componas non secus ac si certò scires cras ex hoc mundo tibi fore exeundum.

Ex his punctis, vnum aut alterum poterit parochus ægroto præponere si sibi videbitur.

Si quid de bonis temporalibus siue per testamentum siue per codicillum disponendum habeat infirmus, hortabitur Sacerdos vt in tempore hoc faciat, & quidem ea circumspectione, ne quam exorituris postea dissidiis ansam præbeat. Deinde, vt vniuersa credita ac debita sua, siue futuris hæredibus, siue executoribus suis sine dissimulatione aperiat.

In reuocandis ad memoriam peccatis suis, monebit sacerdos, vt diligenter inspiciat an in anteactæ vitæ confessionibus nihil præ verecundia aliamue ob causam reticuerit, aut data opera minus explicate dixerit, quam vt à Sacerdote posset intelligi. Nam de peccato illo in Christi Sacramentum commisso imprimis pænitere debet, simulq́ ea omnia quæ vel siluit,

vel subobscurè confessus est, disertè nunc recensere, repetitis quoque perperam antea factis confessionibus, quibus non solùm nullum reconciliationis consecutus est beneficium, sed propter irreuerentiam Sacramento irrogatam, Dei iram insuper sibi auxit & thesaurizauit Eiusmodi verò peccata esse solent hæresis occulta, fluctuatio in aliqua fidei parte, ecclesiasticarum legum præuaricatio, incontinentiæ crimina, fraus in mercatu aut alias quomodolibet alteri illata, læsio famæ proximi per detractionem, quæ duo postrema eiusmodi sunt, vt nisi damni fiat reparatio, absolutioni sacramentali impedimentum objiciatur.

Si comperiat confessiones præcedentes non fuisse validas, vel quia integræ non fuerunt, vel factæ potestatem non habenti, vel absque proposito vitam emendandi, vel aliam ob causam, monebit Sacerdos ægrotum, vt faciat confessionem generalem. Si autem debitè factas intellexerit, nihilominus tamen expediens videtur, vt eum inducat ad aliquam generalem confessionem faciendam, pro qualitate ægroti.

Inquiret etiam Sacerdos, an rancorem aduersus aliquem gerat vel offensionem, quæ rcconciliationem requirat priusquam à peccatis possit absolui. Item an voto seu promissione aliqua Deo vel hominibus sit obstrictus, an nihil sciat iniustè se possidere, an non habeat occulta debita, an nullius famam læserit quam debeat reparare. Denique, an nesciat se aliquo excommunicationis nexu innodatum.

Quòd si publico aliquo crimine qui æger est, infamatus sit, cuiusmodi est adulterium publicè notum, concubinatus, fænus publicum, & his similia, primum omnium requirendũ, vt coram pluribus se resipiscere & à peccatis illis recedere declaret. Id quod adulteri, concubinarij profiteri ac testare debent se-

paratione eius cui nexu illicito antè adhærebant, tantisper donec acquieuerunt, ab absolutionis beneficio cæterisq; sacramentis repellendi Similiter & illi qui publicè iniusti fuerunt, ante omnia quod intulerunt damnum, debent sarcire. Qui verò fœnus in mensa fœnebri publicè exercuit, vt se percipiendis Christi sacramentis idoneum faciat, primum omnium iurare debebit, si valetudini restituatur, quòd ab omni prorsus fœnore in posterum abstinebit. Deinde ponet fideiussores, qui ipsius nomine restitutionem accepti fœnoris promittent quantum ipsius feneratoris facultates permittent. Ipse verò nihil prætermittet detegere eorum quæ ad plenam acceptarum vsurarum declarationem pertinebunt. Quæ omnia si adimpleuerit, ad sacramenta omnia poterit admitti. Et hæc illius resipiscentia in Ecclesia à Parocho postmodum denuntianda est, vt singulis liberum sit sua damna repetere.

Rogabit etiam Sacerdos an credat omnia quæ Ecclesia credenda proponit, & speciatim carnis resurrectionem & remissionem peccatorum, quòd nimirum resurget, quodque Deus per Sacramentum confesso & contrito omnia peccata remittat, an se velit ex animo conuertere ad Dominum.

Facta verò confessione, & absolutione subsecuta, consoletur infirmum Sacerdos, & erigat his aut similibus verbis.

Confido iam cum dolore te & odio peccatorum tuorum, quæcunque ad memoriam tibi venerunt, esse confessum, habere quoque melioris vitæ propositum. Confidere igitur & tu debes per sanguinis Christi meritum & amarissimam eius mortem, Deo iam te esse reconciliatum & liberum à reatu mortis æternæ. Est ergo vnde in spiritu tuo gratias agas Deo, eumq; pre-

ceris, vt hanc tibi cordis munditiem ita conseruet, vt in ea ad finem vsque perseueres, insuper & gratiam tibi largiatur, qua morbi huius dolores ad pænæ temporalis, hîc aut in futuro sæculo luendæ remissionem patienter (quamdiu ille volet, & salutare futurum est) perferre queas.

Ad extremum monebit infirmum Sacerdos, ne negligat sacrum dominici corporis viaticum & vnctionis extremæ sacramentum tempestiuè & oportunè requirere.

Discedens Sacerdos dicat: Kyrie eleison. Christ. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos inducas in tentationẽ. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Resp. Protegat te nomen Dei Iacob. Vers. Mittat tibi auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tueatur te. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus qui es iustorum gloria, & misericordia peccatorum, pietatem tuam humili prece deposcimus, vt hunc famulum tuum [famulam tuam] benignè respicias, & pietatis tuæ custodiam ei impendas, vt ex tota mente tibi deseruiat, & sub tua protectione semper consistat, & quando ei extrema dies venerit, societatem sanctorum percipiat, cum quibus inenarrabilem gloriam sine fine possideat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti descendat super te & maneat semper. Amen.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

OMnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, suscipiat reuerenter ad minus in Paschate, Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de consilio proprij Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

Pascha autem, quantum ad præcedens præceptum spectat, durat à Dominica palmarum vsque ad octauam Paschæ inclusiue, vt Eugenius quartus declarauit.

Si quem mortalis peccati conscientia remordeat, quantumuis sibi contritus videatur, ne præsumat ad mensam Domini accedere, priusquam sacramentali se purgauerit confeßione.

Peccatoribus, ab hæresi, fænore, schismate, adulterio, concubinatu, aut eius generis criminibus publicè infamatis, semper neganda est Eucharistia, nisi resipuisse illos & à peccato peccandiq́ue occasione præsentanea receßisse certò constiterit. Similiter nec illi qui palàm inimicitias exercent ad communionem admitti debent, nisi pace inita. Occulto verò peccatori, si publicè eam petat, ne infamia notetur, negari non potest, sed priuatis interim monitionibus adniti parochus debet, vt ab illo indignæ manducationis flagitio eum deterreat.

Instruent Parochi subditos suos, vt ad dominicam mensam ieiuni semper accedant, ita vt à dimidio noctis præcedentis nihil omnino comederint aut biberint. Sed hæc lex non stringit infirmos, de quorum periculo si timeatur (ne sine commu-

nione decedant) omni tempore sacrosancta Eucharistia potest eis administrari.

Monebunt itaque vt genuflexi & cum magna animi demissione ad cælestem & diuinam hanc mensam veniant, & vt peracta communione, non nisi deuota gratiarum actione præmissa è templo recedant.

Pueris Eucharistia conceditur, si in ea ætate sint & discretioae vt diiudicare possint corpus Domini. Quam rem nemo melius constituere poterit, quàm parentes eorum & Sacerdotes, quibus sua illi confitentur peccata, & à quibus de fide diligenter sunt examinandi, ac nisi in Symbolo fidei, Dominica Oratione, Salutatione Angelica, præceptis decalogi probè sint instituti, à mensa Domini tantisper, donec ea perdidicerint, sunt arcendi. Ætas verò qua puerorum animi sunt explorandi, ab anno decimo vsque ad decimumquartum aut quintum censeri potest.

Amentibus, quando à pietatis sensu alieni sunt, sancta Eucharistia neganda est. Quòd si priusquam in insaniam inciderent, piam & religiosam animi voluntatem præ se tulerunt (nisi vomitionis aut alterius indignitatis timendum sit periculum) ex Concilij Carthaginensis decreto licebit ipsis Eucharistiam administrare in fine vitæ.

Postulat tanti Sacramenti dignitas, vt qui matrimonio iuncti sunt, ante communionem diebus aliquot ab vsu matrimonij abstineant.

Damnatis ad mortem, dari debet Eucharistia si eam petant, sed id fiat ante diem supplicij.

Sacerdos sanctissimum Eucharistiæ sacramentum administraturus, superpelliceo & orario seu stola induetur, & sine lumine nunquam illud administrabit.

Eucharistia necessariò debet pro infirmorum communione adseruari, idq; non alibi quàm in ecclesia, loco quàm fieri potest honestissimo, clauso quidem, sed conspicuo, (cuius clauem soli Sacerdotes custodiant) & in purissima pixide à labe sordeque alienissima, inclusa parte corporalis cui sacræ hostiæ inclusæ sint. Sacramentales autem species quæcunque in ecclesia conseruantur, singulis hebdomadis visitentur, & ad minus singulis mensibus innouentur, nec plures consecrentur, quàm putabuntur necessariæ in vnum mensem.

Tempore verò paschalis aut solemnioris communionis, sufficienti numero consecrentur, vt non sit opus specierum fractione.

Ante Eucharistiam in ecclesia continuò lumen accensum sit, nisi fortè ecclesiæ tam pauperes essent, vt sumptibus necessariis sufficere non possint, quo casu, saltem toto officij diuini tempore lumen habeatur.

Parochus autem dominica passionis instruet populum quomodo se præparare debeat ad dignè communicandum, habita oratione quæ infrà habetur in parte tertia manualis. Et tẽpore Paschæ, ac quotiescunque frequens ac celebris erit communio, ante communionem tribus verbis populum monebit, vt bene præparatus ad mensam Domini accedat, non ficto animo, vt Iudas, sed cum vera contritione & proposito emendationis vitæ, cupiens ex animo deinceps seruire Domino Deo, eiusq; mandata obseruare, prout in baptismo promisit. Deinde vnusquisque accedat magna cum humilitate ex consideratione tantæ maiestatis ac sanctitatis. Præterea excitet in se deuotionem ex consideratione passionis Christi, & ex præsenti benignitate quæ nobis in hoc sacramento exhibetur. Accedat etiam corpore bene composito Sit caput erectum,

oculi demißi, manus ante pectus complicatæ, lingua extremum labium attingat, recipiensq́ corpus Domini dicat in corde suo quod dixit Thomas: Dominus meus & Deus meus. *& expendat id quod dicit ei Sacerdos:* Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.

Post communionem hoc faciendum est Christo, quod fieri solet nobili hospiti. Primò agendæ illi gratiæ quòd ad tam vile hospitium accesserit. Secundò, offeremus ei nos totos nostraq́ omnia, vt illa tanquam sua disponat & curet. Tertiò, aperiemus ei paupertatem nostram nostrosq́ defectus, petemusq́ gratias ad malas affectiones omnes deponendas, virtutesq́ contrarias assequendas.

Hac exhortatione facta, dicet Pastor Confiteor, seu confessionem generalem, monens vt omnes communicaturi eandem cum ipso deuotè dicant; qua dicta, dabit absolutionem generalem.

Tunc Sacerdos conuersus ad altare, genua flectens coram sacramento, accipiat particulas super patenam, & vnam in manibus accipiens ostendat omnibus dicens: (si communio detur extra missæ officium.) Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea. Et repetat secundò & tertiò eadem verba; quibus tertiò repetitis, det corpus Domini omnibus dicendo: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam, faciendo signum crucis cum hostia super singulos. Et sic communicet omnes qui sunt in primo ordine, qui postea quàm sumpserint, surgant & alij veniant, & similiter communicent. Et postquam com-

municauerint, accipiant ablutionem non ex calice, ſed ex alio vaſculo.

Quo facto (ſi extra miſſæ officium communicauerint) Sacerdos det eis bendictionem dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ ſancti deſcendant ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

MODVS ADMINISTRANDI SACRAMENTVM EVCHARISTIÆ ÆGROTIS.

CVM *aliquis ægrotus eſt communicandus, certis campanæ pulſibus ſignum detur, vt fideles, quibus vacat, conuenire poſſint, ſæpeq; excitet parochus populum vt in comitando hoc venerabili ſacramento officium ſuum faciat, expoſitis pro hoc datis indulgentiis.*

Vicinis autem aliiſq; amicis congregatis tædiſq; accenſis, Sacerdos ſuperpelliceo ac ſtola decenter ornatus, reuerenter accipiet pixidem in qua Sacramentum dominicum requieſcit, coopertam panno ſerico, ipſumq; præcedet cuſtos ſuperpelliceo indutus, lumen præferens, præeunte campanula, vt populus moneatur officij ſui tum erga Sacramentum, tum erga infirmum. Procedens autem Sacerdos ad domum infirmi oret pro ſalute ægrotantis dicendo Veni creator Spiritus. *vel alias preces pro ſua deuotione. Siq; aliquem videat non flectentem genua, nec adorantem hoc Sacramentum, moneat eum ſui officij verbo aut ſigno, ſiq; animaduertat id fieri ex contemptu, deferat eum ad Epiſcopum aut eius Vicarium.*

Nunquam autem occultè deferat Sacerdos Euchariſtiam

ægris quia morbum dißimulare volunt aut alio prætextu, semperq́ plures hostias secum asportet, vt saltem in reditu vna remaneat in pixide, nisi fortè per loca difficilia aut aspera, aut hæreticorum iniuriis obnoxia gradiendum foret, quo casu Sacerdos quo poterit decentiore modo sacrosanctam Eucharistiam deferet & vnam tantum hostiam secum accipiet.

Qui in Paschate aut aliàs corpori dominico communicarunt in ecclesia, & post pauculos deinde dies in periculosam ægritudinem incidunt, nihilominus tamen debent hoc venerabile sacramentum à proprio parocho ad se deferendum requirere. Tum vt seruiat eis pro salutis viatico, tum vt claram fidei catholicæ faciant profeßionem.

Si autem infirmus fuerit publicè criminosus, non dabit ei Sacerdos sacram cõmunionem, nisi prius constiterit quòd peccatum & statum peccati dimiserit, vt suprà de sanis dictũ est.

Quando Sacerdoti danda est communio, debet habere stolam super vtrumque humerum à collo dependentem.

Porro in cubiculo ægroti paretur locus aliquis qui sit coopertus mappa candida, in quo Sacerdos poßit reponere thecam venerabilis Sacramenti. Ibi etiam parentur ciphi cum vino & aqua.

Ingrediens Sacerdos cubiculum ægroti, dicet:
Pax huic domui. Resp. Et omnibus habitãtibus in ea.
Dabitque benedictionem ægroto cum theca Sacramenti, eaque reposita in loco ad id composito, asperget ægrotum aqua benedicta, dicendo:
Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Vers. Saluum [saluam] fac seruum tuum [ancillam tuam.] Resp. Deus meus

ſperantem in te. Verſ. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. Reſp. Et de Sion tuere eum [eam.] Verſ. Nihil proficiat inimicus in eo [ea]. Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Verſ. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Reſp. A facie inimici. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilij tui ſuper infirmum noſtrum [infirmam noſtram] oſtende virtutem, vt ope miſericordiæ tuæ adiutus [adiuta] Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Dehinc petet ab ægroto an bene præparatus ſit ad accipiendum venerabile Sacramentum, nihilque velit ei vlterius in confeſſione declarare.

Deinde faciet exhortationem ſequentem, ſi qualitas, ſtatus, aut morbus perſonæ id videatur poſtulare.

Chariſſime frater, adfero nunc tibi venerabile Sacramentum Euchariſtiæ, ad tuam conſolationem. Meritò debes gaudere, & amare Dominũ Ieſum Chriſtum, qui cùm tantus ſit, tamen te accedat. idque vt te paſcat pretioſo corpore ſuo: Deus enim creauit nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt cum angelis frueremur vita æterna. Verùm cùm illam per peccatum amiſiſſemus, nemo potuit eam nobis reſtituere niſi Chriſtus Dominus, verus Deus & homo: & ſicut ille nos redemit, ita abſque iſto hanc noſtram peregrinationem perficere non poſſumus, nec peruenire ad pa-

triam vitæ cælestis, nisi per ipsum. Ipse enim dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*, &c. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Atque ita in hoc sacramẽto dedit seipsum nobis in cibum & viaticum. Accepturus ergo hoc venerabile sacramentum debes primò firmiter credere beneficium quod tibi præstatur. Et vt monet Paulus, diiudicare hunc cibum ab omnibus aliis, credendo sub speciebus panis quæ videntur, esse verum corpus Domini nostri Iesu Christi, quia is qui est omnipotens, & cui nullum verbum est impossibile, dixit, *Hoc est corpus meum*. Cùm autem ipse iam resurrexerit & viuat, vbi est corpus eius, ibi & sanguis, & anima, & diuinitas eius. Ac proinde, (vt Augustinus dicit) *nemo hoc sacramentum manducat, nisi prius adorauerit.* Cùm ergo hîc sit totus Christus Deus & homo, plenitudo omnis gratiæ, fons & origo omnium virtutum, magna cum fiducia & certa spe debes illum accedere, vt de ipso haurias omnem gratiam & consolationem, & vt qui dixit: *Caro mea mea vere est cibus, & qui manducat me viuet propter me*, animam tuam pascat, nutriat & foueat, teque viuificet. Sed & commemorare te oportet passionem ac mortem Domini: siquidem ipse in vltima cæna valedicens suis discipulis, pro peccatis nostris iam iam moriturus hoc Sacramentum instituit, nobisque reliquit in perpetuum testamentum, in memoriam sui suæq; passionis ac mortis dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem.* Quare Paulus, *Quotiescunque manducabimus panem hunc, vult nos annunciare mortem Domini.* Verùm cum vides tantum amo-

Ioan. 14.
Ioan. 6.
In Psal. 98.
Ioan. 6.
Mat. 26. Luc. 22.
1. Cor. 11.

rem Christi erga te, debes & ipsum ex toto corde amare, & dolere quòd tam benignum Dominum toties offenderis, & nunc te totum subjicere ipsius voluntati ac beneplacito, nihil æquè desiderans atque ipsius mandata seruare, & paratus vel viuere vel mori, prout ipse de te statuerit. Hoc quoque Sacramentum (vt est apud Augustinum) est Sacramentum vnitatis, charitatis & pacis, Christusque illud instituens voluit nos sibi, & inter nos coniungi. *Omnes* (inquit Paulus) *vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.* Quare nemo hanc sacram communionem percipere potest, nisi priùs pacem cum omnibus habeat: si quem ergo offenderis, vel ex iis qui hîc præsentes vel absentes sunt, tu precaris vt per Christum ex animo tibi remittant omnem offensam, & si quis sit qui te offenderit, etiam ipsi sincero corde remittis, rogans vt omnes pro te orent, vt hoc sacramẽtum ad animæ tuæ salutem possis percipere.

Qua exhortatione facta, declarabit Sacerdos nomine ægrotantis, quòd omnibus offensam remittat, cupiens similiter vt omnes ei remittant, si quid eos offenderit, & rogans vt omnes dicant Pater noster Aue Maria, vt ad salutem suam recipiat hoc sacrosanctum mysterium.

Tunc ægrotus vel custos eius nomine dicet Confiteor, &c. Quo dicto subjiciat mox Sacerdos: Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Indulgentiam, absolutionem & remissionem, &c. Deinde abluet manus & eas absterget, & acceptam sacrosanctam hostiam ostendet ægroto dicens:

Credis

Credis quòd ſub hac ſpecie panis corpus Chriſti adeoq́ue totus Chriſtus ſaluator mundi verè ac realiter contineatur? Quo dicente: Credo. dicat Sacerdos: Dic ſicut ego dico: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. Quo ter dicto, Sacerdos dans Euchariſtiam infirmo, dicat: Accipe frater [vel ſoror] in viaticum corpus Domini noſtri qui te cuſtodiat ab hoſte maligno & perducat in vitam æternam. Amen. Deinde ſubiunget: Corpus Domini noſtri Ieſu, &c. Poſtea lauet ſacerdos digitos ſuos cum vino puro & aqua, & tradat lotionem infirmo nihil dicens.

Peracta communione, moneat ſacerdos infirmum ſequenti vel ſimili oratione.

Age nunc gratias Domino, amantiſſime frater, quòd dignatus ſit ad hoſpitium tuum declinare, & amplectere eum vlnis cordis tui, dicens cum ſponſa in Canticis: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam* Et cum Dauide: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, Non timebo mala quoniam Dominus mecum eſt.* Et roga eum, vt ſicut dedit Iſraelitis in deſerto manna, quod habebat in ſe omne delectamentum & omnis ſaporis dulcedinem; ita hoc cæleſti manna recreet animam tuam, vt omnibus quæ ſunt huius mundi relictis, in ipſo ſolo delecteris & cõquieſcas. Et quemadmodum Helias confortatus pane ſubcinericio (fugiens Iezabelem) quem ei Angelus ſubminiſtrauit, venit per deſertum vſque ad montem Dei Oreb, vbi Dominum vidit; ſic etiam hoc cibo angelico te confortet, vt effugias omnes tentationes & perſecutiones carnis, mun-

Cant. 3.
Pſal. 22.
Pſal. 10.

di, & diaboli, & virtute huius viatici nunc accepti, perficias peregrinationem tuam, & peruenias ad mõtem cæli, vbi frueris perpetua claritate visionis Dei.

Si non totam, poterit tamen partem aliquam ex hac & prædicta exhortatione dicere.

Post hanc exhortationem dicat Sacerdos:

Vers. Domine exaudi orationem meam. *Respon.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscùm. *Resp* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, te suppliciter deprecamur, vt accipienti fratri nostro [sorori nostræ] sacrosanctum corpus Domini nostri Iesu Christi filij tui, tam corpori quàm animæ prosit ad remedium sempiternum. *Resp.* Amen.

Et hoc dicto, iterum aspergat aquam benedictam, & dicat: Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat hunc infirmum, & omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Tunc accipiet Sacerdos pixidem venerabilis sacramenti, dabitque benedictionem ægroto & præsentibus, dicens: Pax & benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti descendat super vos & maneat semper. *Resp.* Amen.

Quo dicto, reuertatur ad ecclesiam dicendo psalmum Miserere mei Deus, *&c. Et ad ostium chori seu*

ad altare, pro consuetudine loci reuersus, vertat se ad eos qui comitati sunt genuflexos, eosque moneat ad orandum pro infirmo, & annunciet eis indulgentias dicens vulgari sermone:

Quicunque comitati estis sacratissimum Christi corpus, fecistis opus misericordiæ, visitando infirmum, insuper cõsecuti estis indulgentiam centum dierum, qui verò detulistis cereos accẽsos, ducentorũ dierum.

Postea dicat orationem super eos.

DEus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas, &c.

Denique data eis benedictione cum theca venerabilis Sacramenti, eam suo loco reponat.

DE SPIRITVALI COMMVNIONE INFIRMIS IMPENDENDA.

SI propter gutturis inflationem, vomitus aut alterius periculi metum, non satis tutum sit, sanctam Eucharistiam infirmo porrigi, non tamen negligenda est dominici corporis ad ægroti ædes delatio.

Caueat autem Sacerdos ne leui occasione à reali sumptione infirmum arceat, & quando eam ex necessitate omittit, non porriget corpus Domini osculandum ægrotis, sed tantum ad adorandum exhibebit, diligenterq; inquiret an non fingatur subesse periculum, quòd infirmus minus sit affectus erga

hoc Sacramentum, nec velit illud realiter suscipere.

In hac autem spirituali sumptione parochus omnia dicet & faciet quæ suprà dicta sunt in reali, & dicet vt ægrotus petat veniam ab iis quos potuit offendisse, monebitque præsentes, vt pro eius salute orent, & accipiet hostiam sacram ex pixide, eamq; ostendet ægroto, petens:

An ne verè credat, quòd Iesus Christus filius Dei viui nos ita amauerit, vt pro nobis voluerit homo fieri, miseriisque huius vitæ mortalis subjici, & pro nobis pati & mori in cruce, & seipsum nobis dare in cibum, ac proinde credat verè ac realiter sub hac specie panis Saluatorem Christum esse.

Deinde. An ne memor verborum Christi, quæ dixit in nouissima cæna, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, omnibus modis cuperet Sacramentum hoc realiter sumere, si quo modo ei foret possibile, & nunc voto & desiderio illud amplectatur petens Christo vniri ac eius meritis incorporari, & per fidem charitate operantem ei coniungi, pacemq; habere cum Deo & proximis. Mat. 26.

Denique dicet: Quandoquidem ita constitutus es, hoc tibi persuadeas, quòd nihil tibi dedecet, ex eo quòd realiter non sumas hoc sacrum mysterium, memor huius dicti S. Augustini, *Crede & manducasti.* Adora ergo hoc Sacramentum & dic cum Thoma, *Dominus meus & Deus meus.* Tract. 27 in Ioan.

Postea recondat sacram Eucharistiam in pixide, & post ablutionem manuum ad ægrotum redeat eique dicat: Ora nunc Christum vt dignetur acceptum habere tuum pium desiderium, tibique impertiri om-

nem

nem plenitudinem gratiæ, quam hoc Sacramentum nobis largitur, & dic mecum.

Anima Christi sanctifica me, corpus Christi salua me, aqua lateris Christi laua me, passio Christi conforta me, sanguis Christi inebria me. O bone Iesu exaudi me, in sacris vulneribus tuis absconde me, & ne me sinas separari à te; ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te, vt cum Angelis & Sanctis tuis omnibus laudem te Deum Saluatorẽ meum in sæcula sæculorum. Amen.

Qua oratione prolata, Parochus dicet:

Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Domine sancte Pater, &c. aliaque prosequatur, prout suprà notatum est, pag. 84.

INSTRVCTIO AD ADMINISTRANDVM SACRAMENTVM EXTREMAE VNCTIONIS.

Cum inungendus aliquis erit, Sacerdos curabit pulsari campanam certis ictibus, vt omnes intelligere possint Sacramentum extremæ vnctionis esse administrandum, & qui possunt conueniant ad ecclesiam vt comitentur Sacerdotem & cum eo orent pro ægroti salute, qui verò impediuntur, saltem domi orent pro infirmo.

Sacerdos autem sacrum infirmorum oleum ad ægrotos deferens, sit indutus superpelliceo & stola, & custos aut alius

eius loco ei præferat ardentem tædam aut laternam accensam & paruam crucem, absque tamen sonitu nolæ & eundo oret pro ægroto decumbente, legatq́; psalmum Miserere mei Deus, *&c.*

Administrandum hoc sacramentum est iis qui graui morbo labroant, de quorum morte timetur, qui (si fieri potuit) antefuere confeßi & Eucharistiam sumpsere, quando adhuc vigent ratio & sensus in ipsis.

Non est autem conferendum iis qui sani sunt, etiam si se exponant periculo mortis vel supplicio afficiendi sint, nec pueris nisi cùm ad ætatem peruenerint vt detur eis sacra communio, nec amentibus qui ab ipso ortu tales fuere. Si verò habuerint aliquando rationis vsum, & fuerint bonæ vitæ, debet eis dari, etiamsi nec confiteri nec Eucharistiam sumere potuerint.

In vna autẽ infirmitate, etsi sacra Eucharistia sæpius ad infirmum deferri poßit, Vnctio tamen hæc non nisi semel facienda est. Si verò post vnctionem conualuerit infirmus, quotiescunque in idem vitæ discrimen postea inciderit, toties huius Sacramenti subsidio poterit iuuari, præmißis semper si per ægritudinem licet, sacramentali confeßione & Eucharistiæ sumptione.

Si cui fortè manus amputata, erutus oculus, aut aures præcisæ sint aut alia corporis pars ex iis quæ vngi solent quauis ratione deerit, propinquior inungatur.

Si Sacerdos intellexerit mortem ægroto iam imminere, incipiat ab ipsis vnctionibus. Si verò infirmus adhuc vixerit, tunc presbyter omnia exequetur. Si æger ante officij absolutionem moriatur, fiat statim animæ commendatio, dicendo: Subuenite sancti Dei, *&c. vt infrà.*

In morbis contagiosis, & peste grassante, vt periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad vnctionem expositum ac detectum, dicendo:

Per istam sanctam vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, odoratum, gustum, tactum, & gressum. *Et tunc preces quæ præmittendæ & subiungendæ forent, poterunt in ecclesia coram venerabili Sacramento deuotè legi.*

Meminerit autem sacerdos ne det benedictionem cum pixide olei sacrati, ne simplices illud æquent venerabili Eucharistiæ.

RITVS ADMINISTRANDI SACRAMENTVM EXTREMAE VNCTIONIS.

Ingrediens Sacerdos cubiculum infirmi, dicat: Pax huic domui. Resp. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde stans ante ægrotum, dicat: Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & me indignum, qui primùm misericordia tua indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti huius operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quòd tuæ virtutis est, operare.

Deinde ponat imaginem crucifixi ante oculos infirmi, vt eam aspiciat, deinde in modum crucis aspergat ægrotum aqua benedicta, dicens: Asperges me

Domine hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, immenſam clementiam tuam humiliter imploramus, vt ad introitum humilitatis noſtræ, hunc famulum [hanc famulam] in hoc habitaculo feſſum [feſſam] iacentem, viſitatione ſalutifera viſitare digneris, vt ſicut viſitaſti Domine Tobiam & Saram, & ſocrum Petri, puerumque Centurionis, ita & iſtum [iſtam] viſites, vt priſtina ſanitate animæ & corporis recepta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Quo facto, infirmum roget, ſi quem adhuc remorſum conſcientiæ habeat, ac eius (ſi opus ſit) confeſſionem audiat, & inducat eum, ſi fieri poteſt, vt aliquid confiteatur, vt poſſit ei dare abſolutionem ſacramentalem generalem ab omnibus peccatis & cenſuris. Et etiamſi tunc non confiteatur infirmus dicat tamen ipſe, aut cuſtos ipſius nomine, Confiteor. quo dicto, ſubiungat Sacerdos, Miſereatur tui &c. & Indulgentiam, &c. & ſtatim abſolutè dicat hanc precationem.

Deus omnipotens ſaluator, & redemptor generis humani, qui Apoſtolis ſuis dedit ligandi atque abſoluendi poteſtatem, ipſe te abſoluere dignetur à cunctis iniquitatibus tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante ipſo, ſis abſolutus ante faciem illius, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde Sacerdos exhortabitur ægrotum hac vel ſimili oratione ſequente.

Chariſſime frater, En præſtò hîc ſumus vt tibi admi-

niſtremus Sacramentum extremæ vnctionis, iuxta illud Iacobi, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Vides ergo quomodo te amet Dominus, accepit enim te in gratiam remiſſis omnibus peccatis tuis per ſacramentum Pœnitentiæ, pauit animam tuam pretioſo corpore ſuo per ſacramentum venerabilis Euchariſtiæ, & nunc denuo tibi adeſt (vt ex verbis Iacobi conſtat) grauiter ægrotanti, vt te liberet omni cura & anxietate, ac animam tuam perfectè ſanet per hoc Sacramentum extremæ vnctionis. Imprimis enim ne te ſollicitum habeat corporis valetudo, & ea cura te abſtrahat à rebus ſpiritualibus, vtque ante omnia cogites de ſalute animæ tuæ, & aſpires ad gaudium vitæ æternæ, creator omnium Deus qui tibi vitam dedit, promittit tibi per hoc Sacramentum quòd te ab hoc morbo liberabit ac ſanitati reſtituet, ſi animæ tuæ ſaluti expediat. Si verò non expediat, non debes deſiderare, nam quid profuerit, etiam ſi viuas annos Mathuſalem & animæ tuæ detrimentum facias. Deinde Dominus Chriſtus qui morte ſua mortem ſuperauit, & per crucem vicit omnes poteſtates ac principes tenebrarum, & de ipſis triumphum egit, vnctione gratiæ ſuæ animam tuam liberabit ab omni anxietate timoris mortis, eamque excitabit & conſolabitur deſiderio & expectatione vitæ æternæ. Vires quoque tibi ſuppeditabit contra omnes inſultus & inſidias omnium inimicorum tuorum ſpiritualium, vt tibi nocere non poſ-

Iacob. 5.

ſint, nec ſuis tentationibus ſalutem tuam impedire. Denique, ne quid ſit quod animam tuam ab ingreſſu regni cæleſtis remoretur, omnes languores & imbecillitates quas peccando per quinque ſenſus vel alias ſuas facultates contraxit, ſanabit & cicatrices ex vulneribus peccatorum reliquas delebit, & ſi fortaſſis minus rectè de aliquibus peccatis confeſſus fuiſſes, aut venialia delicta te premerent, omnia illa abſterget, reddetq́; animam tuam candidam, ac ſplendore lucis ſuæ eam illuſtrabit, vt idonea efficiatur ad ingrediendum regnum cælorum & videndum Deum facie ad faciem. Et quia vſque ad extremum perſeueras in Eccleſia Catholica, nos qui hîc tibi adſumus, repræſentantes totam Eccleſiam, nunc orabimus pro te legendo ſeptem pſalmos pænitentiales, vel pſalmum *Miſerere mei Deus.* Et vt noſtra oratio tanto melius exaudiatur, petemus vt angeli & ſancti omnes, (qui etiam de Eccleſia ſunt) nobiſcum orent, & ita te offeremus Deo altiſſimo, & poſtea inungemus quinque ſenſuum tuorum organa & pedes tuos. Interea dum hęc ſedulò facimus, eleua cor tuum ad Dominum, & nobiſcum ora.

Septem pſalmos pænitentiales Parochus cum circumſtantibus alternatim dicet, ſi non omnes (propter temporis breuitatem ac ne infirmo moleſtus ſit) ſaltem quartum, Miſerere mei Deus, &c.

Pſalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?
Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratū meum rigabo.
Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.
Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.
Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertātur, & erubescant valde velociter.
Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.
Sicut erat. Psalmus. 31.
Beati qnorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.
Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.
Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.
Quoniā die, ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustiam meam non abscondi.
Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opor-
tuno.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum: ad eum
non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumde-
dit me : exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua
gradieris : firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus, & mulus : quibus non eſt in-
tellectus.

In chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe: qui
non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domi-
no miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini
omnes recti corde.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio. Pſalmus 37

Domine ne in furore tuo arguas me : neque in ira
tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi : & confirma-
ſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ : non eſt
pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput
meum : & ſicut onus graue, gauatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ : à facie
inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: to-
ta die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus : & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum : & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatū eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorū, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei : aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt : & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens, & nō habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, nequādo ſupergaudeāt mihi inimici mei: & dū cōmouētur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum : & dolor meus in conſpectu ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ. Gloria Patri. Sicut erat. Psalmus 50.

MIserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientię tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo & mundabor: lauabis me & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te cōuertentur
Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.
Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.
Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.
Gloria Patri & Filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationē meam: & clamor meus ad te veniat.
Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.
Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.
Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.
A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.
Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: & factus ſum ſicut nicticorax in domicilio.
Vigilaui: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia eleuans alliſiſti me.

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem, & generationem.

Tu exurgens Domine miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios interemptorum.

Vt annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hieruſalem.

In conueniendo populos in vnum: & reges vt ſeruiant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.
Ipsi peribunt tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.
Gloria Patri. Sicut erat. Psalmus 122.
DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctem speret Israël in Domino
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria Patri. Sicut erat. Psalmus 149.
DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo : quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam : humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi : & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis : & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te:anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine : defecit ſpiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè miſericodiam tuam : quia in te ſperaui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem:quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine:ad te cõfugi:doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam : propter nomen tuum Dñe viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes qui tribulant animam meam quoniam ego ſeruus tuus ſum. Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. Parce Domine Ieſu Chriſte parce famulo [læ] tuo [tuæ] quem [quam] redemiſti pretioſo ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris ei.

Litaniæ breues.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Sancta Maria. ora pro eo [ea.]
Omnes ſancti angeli, & archangeli. orate pro eo [ea.]
Sancte Abel. ora.
Omnes chorus iuſtorum. orate pro eo [ea.]
Sancte Abraham. ora.
Sancte Ioannes Bapt. ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ. orate.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Ioannes. ora.
Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ. orate.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini. orate.
Omnes ſancti Innocentes
Sancte Stephane. orate.
Sancte Laurenti. ora.
Sancti Fuſciane, Victorice, & Gentiane. orate.
Omnes ss. Martyres orate.
Sancte Sylueſter. ora.
Sancte Audomare. ora.
Sancte Auguſtine. ora.
Sancte Maxime. ora.
Sancte Erckembode. ora.
Omnes ſancti Pontifices, & Confeſſores. orate.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Bertine. ora.
Sancte Franciſce. ora.
Omnes ſancti Monachi, & Eremitæ.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Lucia. ora.
Sancta Auſtreberta. ora.
Omnes ſanctæ virgines & viduæ. orate pro nobis.
Omnes ſancti & ſanctæ Dei. orate pro nobis.
Propitius eſto. Libera eum [eam] Domine.
Ab ira tua. Libera.
A mala morte. Libera.
A pœnis inferni. Libera.
A poteſtate diaboli. Lib.
Ab omni malo. Libera.
Per paſſionem & crucem tuam. Libera.

Per

Per gloriosam resurrectionem tuam.
Libera eum [eam] Domine.
Per admirabilem ascensionem tuam. Libera.
Per gratiam Spiritus sancti paracleti. Libera.
In hora mortis & die iudicij. Libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt ei parcas, Te rogamus audi nos.
Vt ei indulgeas, Te rogamus audi nos.
Vt ad veram pænitentiam eum [eam] perducere digneris, Te rogamus audi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleyson.
Pater noster.

Hic moneat Sacerdos circumstantes, vt pro infirmo orent, vt ad salutem animæ suæ suscipiat hoc sacramẽtum Extremæ vnctionis. Et facta oratione procedat dicens: Vers. Et ne nos inducas in tentationem.
Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Saluum [saluam] fac seruum tuum [ancillam tuam.] Resp. Deus meus sperantem in te. Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eum [eam.]
Vers. Nihil proficiat inimicus in eo (ea.)
Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
Vers. Esto ei Domine turris fortitudinis. Resp. A faciẽ inimici. Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.
Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es, Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, vngentes eum oleo san-

cto in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum,& alleuiabit eum Dominus,& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Cura quæſumus Redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti languores huius infirmi [infirmæ] & ſua ſana vulnera, eiuſq; dimitte peccata atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo [ea] expelle, plenamque ei interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, vt ope miſericordiæ tuæ reſtitutus [reſtituta] ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

RESpice Domine famulum tuum [famulã tuam] in infirmitate ſui corporis laborãtem, & animam refoue quam creaſti, vt caſtigationibus emendatus, [emendata] continuò ſentiat tua medicina eſſe ſanatum [ſanatam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad inuocationem tui nominis benignus aſſiſte, vt famulum tuum, [ancillam tuam] N. ab ægritudine liberatum [liberatam] & ſanitati donatum [donatam] dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ ſanctiſque altaribus tuis, cum omni deſiderata proſpetitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

His dictis, Sacerdos peragat vnctiones, locis inungendis aqua prius lotis, ſpongiaque aut linteo abſterſis,

ſis, & pollicem vel virgulam intingat in oleum ſacrũ, habeatque linum vel ſtuppam paratam ad detergendum ſacrum oleum membris inunctis, & ipſemet dicat, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc vnctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem ac defenſionem contra ſæua iacula immundorum ſpirituum. Amen.

Deinde ſubiungat, Pax tecum. ℟ Et cum ſpiritu tuo.

Et vngens oculos in modum crucis, dicat:

Per iſtam ſanctam ✠ vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Poſt abſterſionem oculorum, dicat:

Pax tecum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Aures vngendo dicat: Per iſtam ſanctam ✠ vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per auditum, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Poſt abſterſionem aurium dicat: Pax tecum.

Reſp Et cum ſpiritu tuo.

Nares vngendo dicat: Per iſtam ſanctam ✠ vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per odoratum, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Poſt abſterſionem narium dicat Pax tecum.

Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Labia vngendo dicat: Per iſtam ſanctam ✠ vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per guſtum & locutionem,

in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Poſt abſterſionem labiorum dicat: Pax tecum.

Reſp Et cum ſpiritu tuo.

Manus vngendo dicat: Per iſtam ſanctã ✠ vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per tactum. In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Poſtea abſterguntur manus, & dicitur: Pax tecum.

Reſp Et cum ſpiritu tuo.

Pedes vngendo dicat: Per iſtam ſanctam ✠ vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per inceſſum. In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Inter vngendo pedes dicat: Sit tibi hæc vnctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem ac defenſionem contra ſæua iacula immundorum ſpirituum. Reſp. Amen.

Deinde ablutis manibus ſuis, & ſtuppa accenſa vel in ignem proiecta, dicat Sacerdos ſtans ante infirmũ: Vnxi te oleo ſanctificato, inuocata magna Creatoris maieſtate, qui iuſſit Samuelem Prophetam vngere Dauid in Regem. Operare creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, vt nõ lateat hîc ſpiritus immundus neque in membris, neque in medullis, neque vlla membrorum compagine, ſed inhabitet in eo (ea) virtus Chriſti altiſſimi & ſanctificatio Spriritus ſancti. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

DEus, humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominẽ inui-

dia diaboli ab æterna fælicitate deiectum, vnici filij tui pretioſo ſanguine redemiſti, viuifica hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] & iacenti manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, reple eum [eam] omni gaudio cordis & lætitia ſpirituali; expelle ab eo [ea] omnes hoſtiles inſidias & mitte ei medicũ ſalutis angelum pacis, qui eum [eam] in anguſtiis poſitum [poſitam] conſolationibus tuis attollat, quibus in præſenti conſequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

BENEDICTIONES.

SAnet te Deus Pater omnipotens, qui te creauit. Sanet te Ieſus Chriſtus, qui pro te paſſus eſt in cruce. Sanet te Spiritus ſanctus, qui tibi in baptiſmo infuſus eſt. Sancta Trinitas vnus Deus gratiam ſuam ad profectum ſalutis animæ & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono iugiter conſeruet. ✠ Qui viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ſit, vt te defendat; intra te ſit, vt te reficiat; circa te ſit, vt te conſeruet; poſt te ſit, vt te cuſtodiat; ſuper te ſit, vt te bene✠dicat Qui in Trinitate perfecta viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Benedictio ✠ Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te & maneat ſemper.

His benedictionibus datis, exhibeat Sacerdos infirmo imaginem crucis, eumque exhortetur hac vel simili exhortatiuncula.

DIlecte in Christo frater, administrauimus tibi vltimum sacramentum. Gratias itaque age Deo, quod omnia tibi debita Sacramenta acceperis, & exulta in eo. Per hæc enim Christus te in suam protectionem suscepit, ipse te consolabitur, pro te pugnabit, te custodiet & defendet, Ecclesia pro te sollicita est, omnes sancti pro te orant. Non est quòd tu sollicitus sis, tantùm opus est vt reiectis omnibus curis te totum resignes in manus Dei, teque committas bonitati ac voluntati eius, semperque in memoria habens passionem & crucem Domini, cuius merita tibi per sacramenta applicata sunt, & cuius virtute sanatus es. Oculis ergo fidei semper respicias crucifixum, memor verbi Iesu: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita* Ioan. 3. *exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Crede ergo, spera, & confuge ad eum, non potes perire, fugient partes aduersæ, morsus serpentum tibi non nocebunt, sanguine suo vulnera tua sanabit, dabit tibi osculum pacis, brachiis suis te amplectetur, & portabit animam tuam in vitam æternam; & in signum spei & amoris osculare crucem Domini, & eam semper intuere. Ideoque ponam imaginem ante te.

Exhortatione facta dicet: Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici a nobis expelleres potesta-

tem, concede huic famulo tuo (famulæ tuæ) vt & patientiæ ex suis habere documenta, & resurrectionis consortia mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta, & det ei benedictionem, relicta apud eum imagine crucifixi, nisi ægrotus aliam habeat, & reuerẽter procedat ad Ecclesiam; ad quam cùm venerit, loco consueto dicet vt omnes dicant Pater noster. & Aue Maria. pro salute ægrotantis, monebitque vt omnes sæpiùs visitent & consolentur ægrotum.

Instructio ad visitandum ægrotum, & subueniendum ei in suis tentationibus

IMprimis Parochus sollicitus sit de iis ægrotis quibus administrauit sacramenta Eucharistiæ & Extremæ vnctionis vt eos sæpius visitet, consoletur, & assistat, memor quòd salus eorum ipsi commissa sit, de qua tunc maximè agitur, quodq; totum ipsius officium pastorale eò tendat, vt ipsius parochiani fælicem mortem consequi possint. Ac proinde si hic negligens fuerit, & perdet omnium laborum suorum præcedentium fructum, & insuper magnas pœnas luet, quòd oues Christi sanguine redemptæ eius ignauia perierint, animasq; eorum ab ipso Deus repetet. Itaque in fine cùm agitur de summa rei, & quando diabolus maxime insidiatur & tentat, fideliter suis aderit tam pauperibus quàm diuitibus, expectãs à pastore pastorum mercedem copiosam ac superabundãtem.

Quotiescunque autem cubiculum ægrotantis ingredietur dicet: Pax huic domui, & omnibus habitãtibus

in ea. Et aſperget infirmum aqua benedicta, dicens: Aſpergat te Deus rore gratiæ ſuæ in vitam æternam. vel, Aſperges me Domine hyſſopo, & mūdabor. &c. Dicetque nonnunquam ſequentem orationem cum verſibus. Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cælum & terram. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

INtroeat quæſumus Domine Ieſu Chriſte domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna fælicitas, diuina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna. Effugiat ex hoc loco acceſſus dęmonum, adſint angeli pacis, domumque hanc deſerat effugata diſcordia. Magnifica Domine ſuper nos nomen ſanctum tuum, benedic ✠ conuerſationi noſtræ, ſanctifica noſtræ humilatatis ingreſſum qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Præterea vt aptum adhibeat remedium, debet ante omnia inueſtigare quo morbo anima laboret, & de quo maximè tentetur ægrotus. Nā omnes qui in lecto infirmitatis decumbunt & ad mortem tendunt, ferè tentantur vel de amore huius mundi, de deſiderio vitæ ac horrore mortis, de cura ac ſollicitudine ſibi coniunctorum, de impatientia, de infidelitate, de deſperatione, vel denique de præſumptione ac fiducia ſui.

Si tentetur infirmus amore huius ſæculi, proponat ei Paſtor.

1. Quòd nihil in hoc mundo ſtabile ſit. *Quis* (inquit Innocētius) *diem totū duxit in delectatione iucundum*, &c. Innoc. li. 3. de cons temp mū di c.20.

Et

Iob 21. Et Iob, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Secundò quòd ea quæ mundi sunt, nostra non sunt; hinc Paulus, *Nihil intulimus in hunc mundum.* Et Iob, *Nudus egressus sum*, &c. & ideo omnia contemnenda exemplo Christi, qui dicit, *Vulpes foueas habent*, &c. *Filius autem hominis nō habet vbi caput suum reclinet.* Et Paulus arbitratus est omnia huius mūdi vt stercora.

1. Tim. 6. Iob 1. Luc. 9. Philip. 3.

Tertiò, quòd sumus aduenæ & peregrini, vt Petrus dicit, & ideo clausis oculis debemus omnia præterire, nec illis affici. Vnde Dauid, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Sic Patriarchæ illi, etsi hîc diutissimè viuerent, nolebant tamen sibi ædificare domos, sed in casulis & tentoriis habitabant vt peregrini, quęrentes patriam cælestem vt Paulus dicit.

1. Petr. 2. Psal. 61. Hebr. 11.

Denique, quòd in mundo non sit nisi vanitas & afflictio spiritus, quodq́ue sit plenus miseriis & calamitatibus. Hinc Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis*, &c. Et ideo meritò est carcer & vallis lachrymarum. Quare debemus libenter hinc exire, & properare ad fælicitatem æternam. Sic Dauid: *Educ de custodia*, seu carcere, *animam meam.* Et Paulus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

Eccles. 1. & 2. Iob 14. Psal. 141. Philip. 1.

Si ægrotus abhorreat mortem, vt iuuenes, & qui in flore ætatis sunt, proponantur ei miseriæ huius vitæ, vt iam dictum est, & quòd vita hæc sit tantum vmbra vitę, & si teneatur suauitate vitę, quanto magis debet capi dulcedine vitę ęternę, de qua scriptum est, *Quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis.* &c. Mors autem est introitus ad hanc vitam.

1. Cor. 2.

Deinde

Deinde, quòd *ſtatutum ſit hominibus ſemel mori*, & quando naſcimur, ſententiam mortis nobiſcum ferimus, & ideo mors nunquam præmatura. Hebr.9.

Tertiò, quod hæc ſit magna miſericordia, quando Deus eripit citò quoſdam ex hoc ſæculo, dum in bono ſtatu ſunt Iuxta illud, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap.4.

Denique, Deus nouit quid ſit illi ſalutare, ſubjiciat ſe voluntati diuinæ, acceptet mortem in ſatisfactionem omnium ſuorum peccatorum, dicens cum Chriſto: *Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Matt.26.

Si angat eum ſollicitudo vxoris, liberorum, &c. dicat ei Sacerdos, vt committat eos Deo, qui veſtit lilia agri & paſcit volatilia cæli, *&c.* Plures alios fuiſſe relictos etiam in maiori neceſſitate, quibus meliùs prouidit Deus, quàm feciſſent parentes, ſi vixiſſent. Cogitet, quòd Deus eſt pater principalis, & prouiſor vniuerſalis. Item, quòd Chriſtus dixit: *Sufficit diei malitia ſua.* Feciſti quod potuiſti, & quamdiu potuiſti, quod reliquum eſt transfer in Dominũ Deum, qui eſt omnipotens & habet infinita media ad iuuandũ ſuos. Matt.6.

Si laboret impatientia, condolendum eſt ei, & dicendum, Chriſtum per dolores ſuos nobis promeruiſſe ne tẽtemur ſupra id quod poſſumus, Deum cum ipſo eſſe in tribulatione, Chriſtum expandere brachia ſua in cruce vt eum iuuet. 1.Cor.1. Pſal.90.

Secundò, quòd Deus quẽ caſtigat diligit, ne puniat in futuro ſęculo. Si eſſet in purgatorio, cuperet decuplo plura hîc ſuſtinere, vt ex illis tormentis poſſe liberari.

dicat

dicat cum Gregorio: *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Tertiò, vt consideret exempla Iob, Tobię, Ioseph, Dauidis, Virginis Mariæ, cuius animam doloris gla-
Hebr. 12. dius pertransiuit, tot Martyrum, & prę cęteris Iesu Christi, vt monet Paulus. Quodque *oporteat nos cum illo*
Rom. 8. *pati vt conglorificemur.* Denique, *quòd per multas tribu-*
Act. 14. *lationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et *non sunt con-*
Rom. 8. *dignæ passiones huius temporis,* &c.

Si ægrotus tentetur à dęmone per infidelitatem, suggeratur ei, vt protestetur se velle mori in fide Ecclesię Catholicę, recitetque sepiùs Symbolum Apostolorũ,
Psal. 12. oretque Dominum dicens: *Illumina oculos meos, ne vn-*
Mar. 9. *quam obdormiam in morte, nequando,* &c. Et, *Domine ad-*
Luc. 17. *iuua incredulitatem meam & adauge mihi fidem.*

1. Thess. 2. Secundò, quòd fides nitatur verbo Dei, vt dicit Paulus, ac prima veritate, intellectum & sensus falli posse, Deum autem nec falli nec fallere posse, qui est omni-
Luc. 1. potens, & *ei non est impossibile omne verbum.*

Hebr. 2. Tertiò, fidem esse, vt ait Paulus, *firmam persuasionem rerum non apparentium, quæ nec ratione, nec experientia*
Rom. 4. *demonstrari possunt,* sicut de Abrahamo scriptum est, quòd contra spem in spem credidit. Denique, cum securè posse mori in fide Ecclesiæ, quæ est columna
1. Tim. 3. & firmamentum veritatis, Dominum rogasse pro fide
Matt. 16. Petri vt non deficiat, & super Petrum ędificasse Ecclesiam suam, contra quam portę inferi nõ pręualebunt. Huic fidei tot Martyres, tot Anachoretę & viri religiosi (vt etiam nunc Capucini) morte & vitę suę mortificatione testimonium perhibuere. Hanc tot Doctores Ecclesię admirabili sua doctrina, & tam multa

Concilia generalia, adſiſtente Spiritu ſancto, confirmauerunt; quam etiam tot millia fidelium toi ſæculis inter tam multas perſecutiones profeſſa ſunt, & ad nos tranſmiſerunt, inter quos & noſtri maiores, & patria noſtra fuit. Quare ne ingrediatur diſputationem cum diabolo, ſed ſcuto fidei munitus dicat: *Credo quod credit Eccleſia.* Et ſi interroget: *Quid credit Eccleſia,* Reſpondeat, *Quod ego credo.* Epheſ. 6.

Si dæmon velit infirmum adigere ad deſperationem, dicat ei Sacerdos, vt aſſumat Spem, quæ eſt galea ſalutis. Imprimis conſiderando quòd Deus eſt creator & pater noſter, & diligit omnia quæ fecit, & nos creauit ad imaginem ſuam vt poſſideremus vitam æternam, & *delitiæ eius eſſe cum filiis hominum. Ipſe eſt pater miſericordiarum,* & *miſericordiæ eius ſuper omnia opera eius, nec vult mortem peccatoris, ſed vult omnes homines ſaluos fieri.* Et, *Quare moriemini* (inquit) *domus Iſrael, reuertimini & venite.* Et, *Nunquid mulier poteſt obliuiſci infantem ſuum,* &c. *Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiſcar tui.* Epheſ. 6. Sap. 11. Pro. 8. 2. Tit. 1. Pſal. 144. 1. Tim. 2. Ezech. 18. Eſa. 49.

proponat ei redemptionem generis humani, *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Qui proprio filio nõ pepercit.* &c. *& cum illo omnia nobis donauit.* Et *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, & quærere quòd perierat.* Quæſiuit nos triginta tribus annis, paſſus, crucifixus, mortuus nos acquiſiuit ſanguine ſuo, non derelinquet quos tanto pretio comparauit. Ipſe ſatisfecit pro peccatis noſtris, *Verè languores noſtros ipſe tulit,* &c. Et *poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrûm, quas pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Ioan. 3. Rom. 8. 1. Tim. 1. Matt. 9. Matt. 18. Eſa. 53. 1. Pet. 2. 1. Petr. 2.

Et ita ipse est mediator noster, & quod præcipuum
1.Ioan.2. est, ipse qui iudex est, est & aduocatus noster & sedet
Rom.8. ad dexteram Patris, ostendens cicatrices vulnerum suorum, & interpellans pro nobis.

Tertiò, debet erigi in spem propter promissiones Dei
Ezech.3. factas pænitentibus. Et *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Conuertimini*
Esa.45. *ni & salui eritis. Si dimiseritis hominibus*, &c. *dimittet & vo-*
Matt.6. *bis Pater vester cælestis. Venite ad me omnes qui laboratis*,
Matt.11. &c. Et in Symbolo credimus remissionem peccatorũ.

Quartò, Dominus certa indicia dat, ex quibus facile est colligere quòd eum elegerit. Si enim voluisset eum perire, non fecisset eum nasci ex parentibus fidelibus, nec baptizasset & pauisset corpore suo, nec inspiraret ei pęnitentiam, *&c.*

Quintò, consideret exempla peccatorum, in quos Deus misericordiam exercuit, vt Dauidis, Manassæ, Petri, Pauli, Magdalenæ, Latronis, *&c.* & quàm amet
Luc.15. & 23. peccatores ostendit in filio prodigo, & quando pro crucifixoribus suis in cruce rogauit, *&c.* Quare spe confortatus, arripiat crucem, & dęmoni tentanti respondeat, Pono inter iudicium Dei & animam meam passionem, crucem, & mortem Christi.

Si tentetur per fiduciam sui & philautiam, præsumendo de bonis operibus, quasi misericordia Dei nõ
Psal.24. egeret, opponat ei illud: *Delicta quis intelligit*, &c. *Sep-*
Pro.24. *ties in die cadit iustus.* Et Ioannes qui supra pectus Do-
1.Ioan.1 mini recubuit, de se dicit: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et Paulus raptus in ter-
1.Cor.4. Psal.142. tium cęlum, *Nihil mihi conscius sum*, &c. Et Dauid, *Non*

intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Væ, inquit Augustinus, *etiam laudabili vitæ hominum, si absque misericordia iudicetur. Nec sunt condignæ paßiones huius temporis.* Et *gratia Dei vita æterna.* Quare clamet, *Domine non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.* Aug. lib. 9 conf. cap. 13. Rom. 8. & 6. Psal. 102.

Vbi consolatus est Sacerdos ægrotum, poterit legere aliquem ex Psalmis pænitentialibus, aut sequentibus. Psalmus 15. Conserua me domine. &c.
Psal. 19. Exaudiat te Dñs in die tribulationis, &c.
Psal. 40. Beatus qui intelligit super egenum. &c.
Psalmus 85. Inclina Domine aurem tuam. &c.
Psalmus 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi, &c.
Psalmus 102. Benedic anima mea Domino, &c.
Psal. 115. Credidi propter quod locutus sum, &c.
& iubeat ægrotũ dicere hunc versum: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Et post singulos Psalmos subjiciet: Kyrie eleyson. Christe eleison. Kyrie eleison. cum Pater noster. & Aue Maria. & subjiciet aliquem ex versibus qui ponuntur in administratione sacramenti Extremæ vnctionis pag. 102. cum vna ex orationibus sequentibus. Oremus.

Deus qui facturæ tuæ semper pio dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum [famulam tuam] ex aduersa valetudine corporis sui laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, & cęlestis gratiæ pręsta ei medicinam. Per Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DA, quæsumus, huic famulo tuo [famulæ tuæ] Domine, pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam: da ei auxilium gratiæ tuæ, vt omnibus huius sæculi miseriis liberatus [liberata] ad fœlicitatem perueniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DEus, qui iustorum es gloria & misericordia peccatorum, pietatem tuam humili prece deposcimus, vt hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] benignè recipias, & pietatis tuæ custodiam ei impendas, vt ex tota mente tibi deseruiat, & sub tua semper protectione consistat, & quando ei extrema dies venerit, societatem sanctorum percipiat, cum quibus inenarrabilem gloriam sine fine percipiat. Per Dominũ nostrum Iesum Christum. &c. Amen.

Oremus.

REspice Domine famulum tuum [famulam tuam] in infirmitate sui corporis laborãtem, & animam refoue quam creasti, vt castigationibus emẽdata, continuò se sentiat tua medicina saluatam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui [famulæ tuæ propitius respice, atque ad protegendum eum [eam] dexteram tuę maistatis extende.

Oremus.

COncede hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] quęsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione à pręsenti liberari tri-

ſtitia & æterna perfrui lætitia. Oremus.

DEus qui miro ordine angelorum miniſteria hominumq́ue diſpenſas, concede propitius, vt quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

Dicta oratione aſpergat eum aqua benedicta & det ei benedictionem dicendo: Benedictio Dei Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper te & maneat ſemper.

Et recedat, ſæpiuſq́ue eum viſitet.

ORDO IVVANDI MORIENTES.

SI ægrotus ad mortem tendat, dum adhuc capax eſt rationis, hortetur eum Sacerdos vt ſe totum ſubjiciat diuinæ & bonitati & voluntati. Et cùm viderit eum paratum ad moriendum, petat ab eo infraſcriptas petitiones per ordinē moroſè & diſtinctè, vt eas infirmus percipere poſsit. videlicet,

Sacerdos, Credis tu omnes articulos fidei, totam ſacram ſcripturam ſecundum expoſitionem ſanctorum Doctorum & Catholicorum.

Reſpondeat Infirmus. Credo.

Sacerdos. Deteſtaris tu & reprobas omnes hæreſes & ſuperſtitiones à ſancta matre Eccleſia damnatas & reprobatas? Infirmus, Reprobo.

Sacerdos, Es contentus mori in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti? Infirmus, Sum contentus.

Sacerdos, Cognoſcis te multū offendiſſe Dn̄m Deum creatorē tuum, à quo tanta beneficia recepiſti, & à quo

habes quidquid boni habes? Infirmus, Cognoſco.

Sacerdos, Doles ex corde de omni offenſa cõtra Dominum Deum, teipſum, & proximum tuum qualitercunque commiſſa? Doleo.

Sacerd. Doles de hoc non timore mortis vel cuiuſcunque pęnæ, ſed ſolum ex conſideratione offenſæ diuinæ bonitatis quam offendiſti? Infirmus, Doleo.

Sacerd. Deſideras recordari omnium peccatorũ tuorum oblitorum, vt de ipſis habere poſſis ſpecialem cõtritionẽ & dolorẽ & pænitẽtiam? Infirmus, Deſidero.

Sacerd. Proponis de cætero, ſi placuerit Deo te de hac ægritudine ſanare, deinceps toto tempore vitę tuæ cauere à peccatis mortalibus & vitam tuam mutare, & potius quodcunque damnum temporale, & corporalem mortẽ ſuſtinere, quàm de cætero Deum per peccatum mortale offendere? Infirmus, Propono.

Sacerdos, Roga Deum, vt te in hoc propoſito conſeruet. Infirmus, Rogo.

Sacerd. Parcis omnibus inimicis tuis, qui verbo, vel facto, tibi vel tuis in aliquo nocuerunt, amore Domini Dei tui, à quo etiam tu veniam tuorum peccatorum petis, & hoc non ſolum verbo, ſed corde & firma voluntate? Infirmus, Parco.

Sacerd. Vis omnia integrè reſtituere illis à quibus acquiſiuiſſes, accepiſſes vel habuiſſes per te vel per alios iniuſtè & indebito modo, & propter hoc totã facultatem tuam, ſi aliter ſatisfacere non poſſes, exponere, & eidem renunciare? Infirmus, Volo & paratus ſum.

Sacerdos, Credis non propriis viribus, ſed paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute & merito ad glo-

riam peruenire? Respondeat Infirmus, Credo.

Sacer. Credis quòd Dñs noster Iesus Christus pro nostra salute mortuus sit, & quòd alio modo nullus possit saluari nisi in merito passionis eius? Resp. Credo.

Sacerdos, Redde ei gratias toto corde, quantum potes, & te ipsius protectioni commenda, & passionem ac mortem eius corde cogita, & ore quantum potes nomina. Infirmus, Reddo.

Sacerd. Doles quòd non potes recordari de omnibus peccatis tuis, quibus Dñm Deum offendisti, in quocunque loco, & cũ qualicunq; persona, quæ si recordareris, confitereris? Infirmus, Doleo.

Sacerdos, Doles quòd postquam veniam de peccatis tuis à Domino Deo consecutus es, recidiuans reuersus es ad eadem, vel similia, vel maiora peccata? Infirmus, Doleo.

Sacerdos, Si occurrerit tibi diabolus, ei semper oppone merita passionis Christi. Infirmus, Opponam.

Sacer. Si te tẽtauerit de fide, dicas te omnia credere & confiteri, quæ credit & confitetur sancta Catholica & Apostolica Ecclesia. Infirmus, Dicam.

Sacerd. Si Dñs Deus voluerit te secundum tua peccata iudicare, dicas. Domine Deus, ego pono mortem Domini mei Iesu Christi inter me & iudicium tuum, & quãuis meruerim æternã mortem propter peccata mea, interpono tamen meritũ passionis eiusdem loco meriti, quod ego miser deberem habere & nõ habeo. Item Dñe, pono eandem passionem & mortẽ Domini mei Iesu Christi inter me & iram tuam. Et, In manus tuas Dñe commẽdo spiritũ meum. Infirmus. Dicam.

Item, ſi ita videatur, poterit alio tempore ægrotus facere has proteſtationes, & ſe commendare angelo ſuo cuſtodi.

Prima proteſtatio.

IN nom[illegible] ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus S[illegible]cti. Ego proteſtor coram te, ſanctiſſime angele Dei, diuina pietate ex vtero matris mihi deputato, & coram te patre meo N. & coram omnibus vobis circumſtantibus, quòd in ea vera fide Catholica, quam ſancta Romana & Apoſtolica profitetur Eccleſia, & in qua omnes diſceſſerunt ſancti, mori deſidero, & volo. Nec ad momentum temporis diutiùs viuere affecto, niſi quantum diuinæ placuerit pietati, cui in omnibus conformiter meam ſubjicio voluntatem.

Secunda proteſtatio.

ITem proteſtor, quòd ſub tua angelica protectione & adiutorio diuinæ gratiæ diſcedere & ſic mori intendo, abſque omni deſperatione & fidei dubitatione, ita quòd neque magnitudo, neque numeroſitas peccatorum in barathrum deſperationis me immergere debent, cùm ſciam & veraciter credam, vnam deifici ſui ſanguinis guttam in ara crucis effuſam ſuffeciſſe in redemptionem totius humani generis, ſi ita placitũ fuiſſet diuinę pietati.

Tertia proteſtatio.

PRoteſtor, quòd in caſu, vbi ex puſillanimitate ſpiritus propter tremendum iudicium cui aſtare habeo, aut dæmonis tentatione ſeu debilitate rationis, (quod Deus auertat) aliquam inciderem deſperationem, hoc ipſum pro nunc, ſana mẽte exiſtens, reuoco,

caſſo,

caſſo, & pro non tali facto habere volo, eo quòd non animo ſano & deliberato hoc ipſum eueniet, ſubmittens me totaliter diuinæ pietati.

Quarta proteſtatio.

PRoteſtor etiam quòd cũ diuina miſericordia nulli peccatori contrito & confeſſo remiſſionem ſuorum peccatorum deneget eam deſideranti, quòd vt eandem miſericordiam mihi impertiri velit, toto corde deſidero, & peto illam conſequi per merita amariſſimæ ſuæ mortis, & virtutem prætioſiſſimi ſui ſanguinis pro me effuſi in ligno ſanctiſſimæ crucis, & per merita & preces ſanctiſſimæ ſuæ matris, & omnium ſanctorum angelorum & electorum.

O Angele Dei, ſuccurrat mihi angelica tua pietas, vt quando miſerum cor ſcindetur, & anima mea miſera à corpore ſeparabitur, vt tunc inueniam placabilem iudicem, idq́ue propter illam eximiam charitatem quam Chriſtus Dominus nobis exhibuit, quando cor eius ſcindebatur in cruce pro ſalute mundi, eiuſq́ue anima prętioſiſsima ſeparabatur à corpore.

Orationes breues in morte dicendæ.

SVſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundar ab expectatione mea. Et quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?

Ne projicias me Domine in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me.

Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.

Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Iesu bone, misericordiarum Pater, & Deus totius cōsolationis, misericordiam fac mihi pauperculæ creaturæ tuæ.

Deus refugium & virtus, adiuua me in hac extrema necessitate, succurre animæ meæ egenti, & desolatæ, vt non à canibus infernalibus deuoretur.

Dulcissime Domine Iesu Christe, ob honorem & virtutem tuæ benedictæ passionis, iube me adscribi in numerum electorum tuorum.

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, pone passionem crucem & mortem tuam inter iudicium tuum & animam meam.

Creator & redemptor meus Iesu Christe, totum me tibi dedo, non me renuas: ad te venio, non me repellas.

Nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum meum.

Sonet in mentis meæ auribus vox illa dulcis, hodie mecum eris in paradiso.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt, &c.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine.

Deinde salutet Virginem Deiparam dicens: Maria mater gratię, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Angelos deinde precibus inuitet dicens: Spiritus cęlorum, angeli beatissimi, assistite, quæso, mihi migranti ex hoc sæculo, & potenter eripite me ab im-

mundorum ſpirituum inſidiis, & animam meam in veſtrum conſortium aſſumite: tu pręcipuè angele bone, cuſtos meus.

Poſtremò ſanctos & ſanctas, quos ſingulari obſeruantia coluit, precibus ad auxilium ſuum inuitet, dicens: O glorioſiſſime ſancte N. [vel ſancta N.] in te ſpem & confidentiam mihi apud Deum patrocinandi, dum viuerem, collocaui; nunc maximè (ſi vnquam aliàs) tuo eſt mihi opus auxilio: ſuccurre igitur, & in adiutorium meum intende, vt in hoc extremæ neceſsitatis articulo, apud Saluatorem, qui non vult mortem peccatoris, miſericordiam poſsim inuenire.

Deſumi etiam poſſunt deuotiſſimæ preces ex meditatione paſſionis dominicæ, quibus Sacerdos tribus modis vti poterit, ſemel vt eas per ſe dicat; deinde, vt eas vulgari lingua dicat cum ægroto; denique vt eas cum aliis præſentibus dicat vulgari lingua, eos exhortando ad precandum pro ſalute infirmi.

Vt, ſi oret Ieſum Chriſtum, qui in horto conſtitutus ter Patrem rogauit & ab angelo confortatus eſt, & calicem acceptauit, & inimicis occurrit, vt huic infirmo iam in extremis agenti velit ſuccurrere eiq́ præſtare gratiam, vt patris voluntati ſe ſubjiciat, vtq́ angelum ſuum ei mittat qui eum cõfortet ad fortiter occurrendum & reſiſtendum inimicis inſidiantibus calcaneo ac fini vitæ eius.

Ita etiam vt is qui captus fuit, &c. non patiatur ægrotum capi vllis tentationibus, nec captiuum abduci à cacodæmonibus, ſed ab angelis eum deduci faciat in paradiſum &c.

Item, vt is qui in cruce ſuſpenſus pro inimicis & crucifixoribus ſuis orauit, non relinquat ægrotum hunc, ſed vt pro eo

offerat Patri suam passionem, sitq; aduocatus eius & interpellet pro eo, vt ei dimittat Pater omnem offensam. &c.

Sic etiam qui Latroni dicenti, Memento mei dum veneris in regnum tuum, *respondit*, Hodie mecum eris in paradiso, *dignetur exaudire hunc ægrotum toto corde clamantem*, Qui sedes ad dexteram Patris miserere mei.

Ita poterit Sacerdos totam historiam passionis, immo totam vitam Christi accommodare ad preces & consolari ægrotum, eique in extremis assistere.

Similes preces possunt desumi ex doloribus beatæ virginis dicendo:

O Virgo mater, rogo te per dolorem quem habuisti audiens filium tuum captum & derelictum à suis, vt hunc ægrotum precibus tuis digneris filio tuo commendare, vt ab omnibus peccatis liber, nulla tentatione diabolica capiatur nec vnquam auxilio gratiæ diuinæ destituatur.

Ita consequenter, Ob dolorem quem passa es, quando vidisti vel audiuisti filium tuum flagellatum, spinis coronatum, baiulantem crucem suam, emittẽtem spiritum, iuua hunc ægrotum intercessione tua, ne ob peccata sua flagelletur in futuro sæculo, sed misericordiam consequatur, *&c.*

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ EXEVNTIS.

PRimùm legũtur Litaniæ breues in hunc modum. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Sancta Maria, ora pro eo [ea.] *&c.* Deinde, cùm in

agone sui exitus anxiatur anima, dicantur sequentes orationes. Proficiscere anima de hoc mundo. Deus misericors. Commendo te Deo omnipotenti. Suscipe Domine seruum tuum. Commendamus tibi Domine. Delicta iuuentutis & ignorantias eius, &c.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur psalmi 117. & 118. quæ omnia habentur sub finem breuiarij Romani.

Sequuntur aliæ tres orationes admodum bonæ & vtiles dicendæ super agonizantes, quibus vario modo vti poterit Sacerdos vt de aliis suprà dictum est.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Domine miserere nobis. Pater noster. Aue Maria. Saluator mundi salua nos, qui per crucem tuam & sanguinem tuum redemisti mundum, auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster. Oremus.

Domine Iesu Christe, per agoniam & orationem tuam sacratissimam, qua orasti pro nobis in mõte Oliueti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, obsecro te, vt multitudinem sanguinei sudoris tui quem præ timore tuæ angustiæ copiosissimè pro nobis effudisti, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui [famulæ tuæ] & libera eum [eam] in hac hora mortis suæ ab omnibus pænis & angustiis quas pro peccatis suis timet se meruisse. Qui cum Patre, &c.

Secundò dic. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Domine miserere nobis. Pater noster. Aue Maria. Sanctifica nos Domine signaculo sanctæ crucis, vt fiat nobis obstaculum contra sæua iacula om-

nium inimicorum, defende nos per lignum ſanctum, & prętium iuſti ſanguinis tui cum quo nos redemiſti.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obſecro te, vt amaritudines paſsionũ & pænarum tuarum quas pro nobis miſeris peccatoribus ſuſtinuiſti in cruce, & maximè in illa hora, quãdo ſanctiſsima anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, offerre & oſtendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui [famulæ tuæ] & libera eum [eam] in hac hora exitus ſui ab omnibus pęnis & paſsionibus quas pro peccatis ſe timet meruiſſe. Qui viuis & regnas, *&c.*

Tertiò dic. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Domine miſerere nobis. Pater noſter. Aue Maria. Protege, ſalua, bene ✠ dic, & ſanctifica Domine hunc famulum tuũ [hanc famulam tuam] per ſignum ſanctę crucis, morbos auerte animæ & corporis, ac contra hoc ſignum nullum ſtet periculum.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, qui per os prophetæ tui dixiſti, Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui, obſecro te vt eandem charitatem tuam, quæ te de cęlo in terram ad tollerandas omnium paſſionum tuarũ amaritudines attraxit, offerre & oſtendere digneris Deo Patri omnipotenti contra omnes pænas & paſsiones huius famuli tui [famulæ tuę] quas pro peccatis ſuis timet ſe meruiſſe, ſalua animam eius in hac hora exitus ſui, & aperi ianuam vitæ, & fac eum [eam] gaudere cum ſanctis in gratia ęterna. Qui *&c.*

Si agonia diutiùs duret, poterunt admodum conuenienter dici orationes quę ante commendationem positę sunt. Item psalmi ibidem positi, videlicet septē psalmi pænitentiales, & potissimùm quartus, Miserere mei Deus, *&c.* & vltimus, Domine exaudi. & psal. 15. Conserua me Domine. 19. Exaudiat te Dn̄s. aliis antè declaratis pag. 115. & potissimum psalm. 119. Credidi. Item 2. Quare fremuerunt. 3. Domine quid multiplicati sunt. 21. Deus Deus meus respice in me. (quem dixit Dominus in cruce, quando ait, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* 69. Saluum me fac. 87. Domine Deus salutis meę. *&c.* in quibus psalmis agitur de passione Domini. Poterunt etiam legi Passiones secundum quatuor Euangelistas. Item poterunt legi psalm. 4. Cùm inuocarem. 10. In Domino confido. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. 30. In te Domine speraui non confundar. (quo & Christus vsus est in cruce dicens, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*) 34. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnātes me. 56. Miserere mei Deus miserere mei. 70. In te Domine speraui. 90. Qui habitat in adiutorio altissimi. 120. Leuaui oculos meos in montes. 122. Ad te leuaui oculos meos. 124. Qui cōfidunt in Domino. Qui psalmi excitant ad fiduciam habendam in Domino. Item poterunt & sequentes legi contra tentationes dęmonum, videlicet. psal. 5. Verba mea auribus percipe Domine. 12. Vsquequo obliuisceris me in finem. 24. Ad te Domine leuaui animam meam. 34. Iudica Domine nocentes me. & præcipuè psalm 67. Exurgat Deus. 69. Deus in adiutorium meum intende.

76. Voce mea ad Dominum clamaui. Item dici quoque poterunt ſequentes, in quibus agitur de deſiderio regni cæleſtis, videlicet, pſal 41. Quemadmodum deſiderat. 42. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. 64. Te decet hymnus. 82. Quàm dilecta tabernacula tua. 136. Super flumina Babylonis. Item poterit legi Euangelium Ioannis, In principio erat verbum, *&c.* ac ſæpius dari benedictio dicendo: Dominus Ieſus apud te ſit, *&c.* Et, Benedictio Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti, *&c.* prout habetur in adminiſtratione ſacramenti Extremæ vnctionis, pag. 106.

Sacerdos autem, quando prędictos pſalmos, aut Paſsiones lecturus eſt, dicet id ad aſtantes, vt & ipſi vnà cum ipſo per paſsionem & merita Chriſti impetrent gratiam ægrotanti, vnaque eam repræſentent Deo Patri pro eo. Sic etiam quando leget pſalmos alios de fiducia habenda in Domino, & cõtra tentationes, & de deſiderio regni cæleſtis, monebit eos, vt vnà cum ipſo precentur ad eumdem effectum.

Vbi anima egreſſa fuerit, dicetur, Subuenite ſancti Dei, *&c* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Tibi Domine commendamus, *&c.* quę habentur in breuiario Romano.

FINIS PRIMAE PARTIS.

MANVALIS AVDOMARENSIS PARS SECVNDA,

CONTINENS

OFFICIVM DEFVNCTORVM.

PRO OFFICIO DEFVNCTORVM INSTRVCTIO.

PRo laudabili & antiqua Ecclesiæ consuetudine corpus ad[illegible]i defuncti ante meridiem cum missa, orationibusque & cæ[illegible]moniis debitis (casu contagionis excepto) sepeliri conuenit. Si verò ante meridiem sepultura fieri non posit, semper tamen in ecclesiam funus deferatur, eaque adhibeantur quæ infrà præscripta sunt.

Et exequiæ pro eodem, non perfunctoriè aut negligenter, sed piè & deuotè per Pastorem pro cuiusque Ecclesiæ more decenter sunt celebrandæ.

Nec exequiarum celebratio vltra sex septimanas à die obitus, nisi iustis de causis, per Ordinarium aut Decanum ruralem approbandis, differri debet.

Quòd si dictis sex septimanis elapsis, hæredes aut consanguinei defuncti, etiam postquam ad hoc à pastore præmoniti & requisiti fuerint, illas celebrari non curent, pastoris erit, negligentiam hanc Ordinario eiusue promotori denunciare.

Nobiles & ditiores solent in exequiis chorum vel templum pannis quibu[illegible]m ornare; id verò semper fiat pannis nigris, nunquam ver[illegible] albis, etiamsi defunctus obierit in statu cœlibatus aut virginitatis.

Sacra sepultura nulli conceditur, qui more Christi fidelium se per sacramentorum receptionem ad salutarem exitum non præparauerit, illis tamen qui inopinata & subita morte hinc auferuntur, exceptis; quibus sacra sepultura concedenda venit, dummodo eos vitam Catholicis hominibus congruam egisse, & s[illegible]crosanctis mysteriis, dum viuerent, in Paschate communicasse constiterit.

Nullus etiam hæreticus, Iudæus, Paganus, excommunicatus, & publicè denunciatus, sacra sepultura est cohonestandus, sicut nec manifestus fænerator, nisi aut de perceptis vsuris satisfecerit, aut de iis restituendis sufficientem cautionem, iuxta iuris dispositionem posuerit, sicut sub titulo sacramenti pœnitentiæ suprà dictum est.

Arcendi sunt etiam à sepultura sacra ij qui sana mente ex intentione seipsos interemerunt, & in duello occubuerunt.

Non permittantur deinceps tumuli vel tumbæ velatæ construi in templis sine licentia Episcopi.

Vt procul turpis quæstus species à sacris defunctorum suffragiis semoueatur, Parochi pro exequiis & anniuersariis nihil stipulentur, sed officiis peractis recipiant, aut recusantibus, & post gratiosam monitionem soluere nolentibus, quod ex laudabili consuetudine solui consueuit. iuridicè exigant.

DE OFFICIO SEPVLTVRÆ LAICI ADVLTI

CVm corpus defuncti fuerit sepeliendum, si propinqui defuncti petāt funus deferri ad Ecclesiam cum processione, Sacerdos superpelliceo & stola, vel etiam pluuiali indutus procedit de Ecclesia, præcedente cruce, & clero ordinatè ad locum vbi iacet corpus, comitante, & in domo defuncti seu ante fores dicat. Oremus pro fideli defuncto [defuncta] Miserere, vel De profundis clamaui, &c. Deinde Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Ne tradas bestiis animam confitentē tibi.

Resp.

Resp. Et animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Verſ. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo [famula tua] Domine. Resp. Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Verſ. A porta inferi. Resp Erue Domine animam eius. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Resp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.


SVſcipe Domine animam famuli tui N. [famulæ tuæ N.] quam de ergaſtulo huius ſæculi vocare dignatus es, & libera eum [eam] de locis pænarum, vt quietis & lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter ſanctos & electos tuos in reſurrectionis gloria reſuſcitari mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Resp. Amen. Verſ. Requieſcant in pace. Resp. Amen.

His dictis, offertur funus, miniſtrique Eccleſiæ cantant, Libera me, &c. vel aliquod aliud reſponſorium. Sique procul eundum ſit, cantari vel legi poſſent ſeptem pſalmi pænitentiales, adiecto in fine cuiuſque pſalmi Requiem æternam, &c.

Depoſito corpore in naui Eccleſiæ vel in choro, luminaribus cohoneſtatur. Et ſi tunc exequiæ celebrentur, cantantur vigiliæ mortuorum vt hîc ſequuntur, vel tantum vnum nocturnum pro loci conſuetudine.

OFFICIVM DEFVNCTORVM.

AD VESPERAS.



Antiphona. Placebo Domino. Euouae. 3.

Psalmus 114.

DIlexi quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.

Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.

O Domine libera animam meam, misericors Dominus & iustus: & Deus noster miseretur.

Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum & liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino in regione viuorum.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Sic dicitur in fine omnium Psalmorum.



Ant. Placebo Do mino in regio ne viuorum.



Ant. Hei mihi. Euouae. 2.

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer, clamaui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.


Hei mihi quia incolatus meus prolõgatus est, habitaui cũ habitãtibus Cedar: multũ incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis impugnabant me gratis.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Hei mihi Domine, quia incolatus meus pro-



longatus est. Ant. Dominus. Euouae. 8.

Psalmus 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cœlũ & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce nõ dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.


Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Antiph.



Dominus custodit te ab omni malo, custodiat ani-



mam tuã Dominus. Ant. Si iniquitates. Euouae. 8.

Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.


Fiant aures tuę intẽdentes: in vocẽ deprecationis meę.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israël in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus eius.
Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine



quis sustinebit. Ant. Opera. Euouae. 2.

Psalmus 137.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.
In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.
Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.
In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.
Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Opera manuum tuarũ Domine ne despicias.



℣. Audiui vocem de cælo dicentem mihi.
℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.



Ant. Omne. Magnificat anima mea Dominum.

Cant. B. Mariæ Virg. Luc. 1.

MAgnificat anima mea Dominum.

Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.


Suſcepit Iſraël puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham & ſemini eius in ſæcula.

Requiem æternam dona eius Domine: & lux perpetua luceat eius. Antiph.



Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum



qui venit ad me non eij ciam foras.

Preces infraſcriptæ dicuntur flexis genibus, ſimiliter & ad Laudes. Pater noſter. ſecreto. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 145.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo quàm diu fuero.

Nolite confidere in principibus: nec in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.

Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius: qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt.
Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.
Dominus ſoluit compeditos: Dñs illuminat cæcos.
Dominus erigit eliſos: Dominus diligit iuſtos.
Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet.
Regnabit Dominus in ſæcula Deus tuus Sion: in generationem & generationem.

Cuius loco ad Laudes dicitur Pſal. De profundis. qui pſalmi non dicuntur in die omnium fidelium defunctorum. In fine pſalmi. ℣. Requiem æternam. ℟. Et lux perpetua. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes, famulos tuos pontificali, ſeu ſacerdotali feciſti dignitate vigere præſta quæſumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur conſortio.

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam: vt noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, beata Maria ſemper virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas.

FIdelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorũ, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur: Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In die verò Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quando dicitur hæc vltima tantùm oratio, dicitur:

In die depositionis defuncti. Oratio.

ABsolue, quæsumus Domine, animam famuli tui N. vt defunctus sæculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem carnis, humana conuersatione commisit: tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Si fuerit femina, dicatur: animam famulæ tuæ N. vt defuncta.

In Anniuersario die. Oratio.

DEus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniuersarium depositionis diem commemoramus, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Si pro vno tantum fit anniuersarium, dicatur in singulari numero: Similiter & pro vno Episcopo vel Sacerdote. Oratio. Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes. Si fuerit Episcopus, omittitur: seu sacerdotali: Si tantùm Sacerdos: (pontificali seu)

Pro fratribus verò, & familiaribus, vel benefacto-

ribus, dicitur Oratio. Deus veniæ largitor. vt suprà.

Pro patre & matre. Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti: miserere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumq́ue peccata dimitte: meq́ue eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

Si sit pro pluribus, dicatur: animabus parentum nostrorum & vbi dicitur, meq́ue, dicatur, nosque: & pro patre tantùm: animę patris mei, vel nostri: Si pro matre tantùm: dicatur, animę matris meæ, vel nostræ.

℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Hoc Inuitatorium sequens, dicitur tantùm in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depositionis defuncti, quibus diebus dicuntur tres infra scripti nocturni, & antiphonæ duplicantur; alijs temporibus dicitur tantùm vnum nocturnum cum suis Laudibus.

Ad Matutinum, Inuitatorium.



Regem cui omnia viuunt: Venite adoremus.



Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari




nostro: præoccupemus faciem eius in cōfessione,



& in psalmis iubilemus ei. Regem.




Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus



super omnes Deos: quoniam non repellet Dñs ple-



bem suam, quia in manu eius sunt omnes fines ter-



ræ: & altitudines montium ipse conspicit. Venite.



Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & ari-



dam fundauerunt manus eius: venite adoremus &



procidamus ante Deum: ploremus coram Dño,

qui fecit nos, quia ipſe eſt Dñs Deus noſter, nos

autem populus eius, & oues paſcuæ eius. R egem.

H odie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare

corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecũdum diem,

tẽtationis in deſerto, vbi tentauerũt me patres veſtri,

probauerunt & viderunt opera mea. V enite.

Q uadraginta annis proximus fui generationi huic,

& dixi ſemper hi errant corde, ipſi vero non co-




gnouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si



introibunt in requiem meam Regem.



Requiem æternam dona eis Domine: & lux per-



petua luceat eis. Venite. Regem.

In primo nocturno: Pro feria secunda & quinta.



Antiphona. Dirige. Euouae. 7.

Psalmus 5.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: rex meus & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.
Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.
Introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.
Domine deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.
Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.
Sepulcrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant, iudica illos Deus.
Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.
Et lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.
Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iuſto.
Domine vt ſcuto, bonæ voluntatis tuę: coronaſti nos.
Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.





Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Dñe vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubescãt valde velociter.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Conuertere Domine, & eripe animam meam,



quoniam non est in morte qui memor sit tui.



Antiph. Ne quando. Euouae.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus, in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.
Ne quando rapiat vt leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.
Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.
Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.
Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.
Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circundabit te.
Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.
Iudica me Domine secundùm iustitiam meam: & secundùm innocentiam meam super me.
Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum: scrutans corda & renes Deus.
Iustum adiutorium meum à Domino: qui saluos facit rectos corde.
Deus iudex iustus, fortis & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit: arcum suum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem: & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.


Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor Domino secundùm iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi.

Requiem æternam. Antiph.



Ne quádo rapiat, vt leo, animã meã: dum nõ est qui



redimat, neque qui saluum faciat. ℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum. Pater noster. totum secretò. Lectiones leguntur sine absolutione, Benedictionibus & titulo. Lectio. 1. Iob.


PArce mihi Dómine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbito probas illum. Vsquéquo non parcis mihi, nec dimíttis me, vt glútiam salíuam meam? peccáui. Quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me

contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi grauis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitâtem meam? Ecce nunc in puluere dórmiam, & si manè me quæsieris, non subsistam.


Sic terminantur lectiones, sine: Tu autem.



℟. Credo quod redéptor meus vi uit, & in



nouissimo di e de ter ra surrectu rus sum:



Et in carne me a videbo De um sal uato rem



meum. ℣. Quē visurus sum ego ipse & nō



a li us, & ocul: mei con specturi sunt. Et in.

Lectio 2. Iob 10.

TEdet ánimam meam vitæ meæ: dimittam aduérsum me elóquium meum. Loquar in amaritúdine ánimæ meæ, dicam Deo. Noli me condemnâre. Indica mihi, cur me ita iúdices? Nunquid bonum tibi vidétur, si calumniêris & ópprimas me, opus mánuum

tuarum, & consilium impiôrum ádiuues? Nunquid óculi cárnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu vides? Nunquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora? vt queras iniquitâtem meã, & peccâtum meum scrutêris? Et scias quia nihil impium fécerim, cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere.



℟. Qui Lazarum resuscita sti à monumento fœtidũ.



Tu eis Dñe dona requiẽ & locũ indul gentiæ.



℣. Qui venturus es iudica re viuos & mortuos



& sæ culum per i gnem Tu eis.

Lectio 3. Iob 10.

MAnus tuæ Dómine, fecêrunt me, & plasmauêrunt me, totum in circúitu, & sic repéntè præcípitas me? Meménto quæso, quod sicut lutum féceris me, & in púluerem redúces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut cáseum me coaguiásti? Pelle & cárnibus vestisti me: óssibus & neruis compegisti me. Vitam & misericórdiam tribuisti mihi, & visitátio tua custodíuit spíritum meum.

℟. Domine quādo veneris iu dica re terrā,

v bi me abſcon dam à vultu i ræ tu æ?

Quia pec caui ni mis in vi ta me a.

℣. Commiſſa mea paueſco & ante te e ru-

beſco: dum veneris iudicare noli me cōdemna-

re. Quia. ℟. Requiem æternam dona eis

Dn̄e, & lux perpetua lu ceat e is. Quia.

In ij. nocturno, pro feria tertia, & ſexta.

Ant. In loco. Euouae.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.

Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: aduersus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Antiph



In loco pascuę ibi me collocauit. An Delicta. Euouae.

Psalmus 24.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: superuacuè.

Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus: & te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas.

Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas: requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.

Quis eſt homo, qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis.

Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Reſpice in me, & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatę ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam & laborem meum: & di-

mitte vniuersa delicta mea.
Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt: & odio iniquo oderunt me.
Custodi animam meam & erue me: non erubescam, quoniam speraui in te.
Innocentes & recti adhęserunt mihi: qua sustinui te.
Libera Deus Israël: ex omnibus tribulationibus suis.
Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Antiph.


Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne me-


mineris Domine. Ant. Credo videre. Euouae. 4.

Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?
Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo.
Dum appropriant super me nocentes: vt edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.
Si cõsistant aduersum me castra: non timebit cor meũ.
Si exurgat aduersum me pręlium: in hoc ego sperabo.
Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Vt videam voluptatẽ Dñi: & visitem templum eius.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.
In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.
Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino.
Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te: miſerere mei, & exaudi me.
Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.
Ne auertas faciem tuam à me: & ne declines in ira à ſeruo tuo.
Adiutor meus eſto Domine, ne derelinquas me: neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.
Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.
Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.
Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.
Credo videre bona Domini: in terra viuentium.
Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum: & ſuſtine Dominum.
Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.




Ant. Credo videre bona Domini in terra viuentium.



℣. Collocet eos Dominus cum principibus.
℟. Cum principibus populi sui. Pater noster. totum secretò.

Lectio 4. Iob 13.

RESponde mihi quantas hábeo iniquitâtes, & peccáta, scélera mea atque delicta ostende mihi. Cur faciem tuã abscóndis, & arbitrâris me inimícũ tuum? Contra fólium, quod vẽto rápitur, ostendis poténtiam tuam, & stípulam siccã perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & cõsumere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in neruo pedem meum, & obseruásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meôrum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestimentum quod coméditur à tínea.



℟. Memento mei De us, quia vẽtus est vita



me a. Nec aspici at me visus ho minis.



℣. De profundis clamaui ad te Domine, Domine




exaudi vocem me am. Nec aspi ciat.

Lectio 5. Iob 14.

HOmo natus de muliére, breui viuens témpore, replêtur multis misérijs. Qui quasi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eôdem statu pérmanet. Et dignum ducis super huiuscémodi aperîre óculos tuos, & addûcere eum tecum in iudicium? Quis potest fácere mundum de immûndo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? Breues dies hóminis sunt, nûmerus ménsium eius apud te est. Constituísti términos eius, qui prçteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, vt quiescat, donec optáta véniat, & sicut mercenárij dies eius.












Lectio 6. Iob 14.


QVis mihi hoc tríbuat, vt in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus in quo recordêris mei? Putásne mórtuus homo rursum viuat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondêbo tibi, óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.











Dum veneris.

In tertio nocturno pro feria quarta & sabbato.



Ant. Complaceat. Euouae.

Psalmus 39.

EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi.
Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.
Et statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos.
Et immisit in os meum canticum nouum: carmen Deo nostro.
Videbunt multi, & timebũt & sperabunt in Domino.
Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.
Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.
Annunciaui & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.
Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.
Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio.
In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.
Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.
Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.

Qnoniam circundederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice.

Confundantut, & reuereantur ſimul, qui quærunt animam meam: vt auferant eam.

Conuertantur retrorſum, & reuereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim coufuſionem ſuam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.

Adiutor meus & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Requiem æternam dona.



Ant. Complaceat tibi Dñe, vt eripias me: Domine



ad adiuuandú me respice. Ant. Sana Dñe. Euouae.

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Ego dixi, Domine miserere mei· sana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomen eius?

Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi.

Egredieb[illegible] foras: & loquebatur in idipsum.

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt aduersum me: nunquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei: & resuscita me, & retribuam eis.

In hoc cognoui, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.


Me autem propter innocentiam suscepisti: & con-

firmasti

firmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & in ſæculum: fiat, fiat.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Sana Domine animam meã quia peccaui tibi.



Ant. Siti uit Euouae. Pſalmus 41.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus meus.

Sitiuit anima ad Deum fortem, viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim, à monte modico.

Abyſſus abyſſum inuocat: in voce cataractarũ tuarũ.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierũt.
In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.
Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es.
Quare oblitus es mei: & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?
Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.
Dum dicũt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. Requiem æternam.



Ant. Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum, quãdo



veniam & apparebo ante faciem Domini.



℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.
℟. Et animas pauperum tuorũ ne obliuiscaris in finem.
Pater noster. Lectio 7. Iob 17.

SPiritus meus attenuábitur, dies mei breuiabuntur: & solum mihi súperest sepúlchrum. Non peccáui, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, & pone me iuxta te, & cuiúsuis manus

pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipâtæ sunt torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursum post ténebras spero lucem. Si sustinûero inférnus domus mea est, & in ténebris straui léctulum meum. Putrédini dixi, Pater meus es: mater mea & soror mea, vérmibus. Vbi est ergo nunc præstolátio mea, & patiéntia mea? Tu es Dómine Deus meus.



℟. Peccantẽ me quotidie, & nõ me pœnitentem timor



mortis conturbat me. Quia in infer no nulla est



redemptio miserere mei Deus & salua me.



℣. Deus in nomine tuo saluum me fac, & in



virtute tua libe ra me. Quia in.

Lectio 8. Iob 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus adhæsit os meum: & derelicta sunt tantúmmodo lábia circa dentes

meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat, vt scribántur sermónes mei? Quis mihi det, vt exaréntur in libro stylo férreo, & plumbi lámina, vel celte sculpántur in silice? Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouíssimo die de terra surrectúrus sum, & rursum circûndabor pelle mea, & in carne mea vidébo Deum saluatôrem meũ. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & nõ álius. Repósita est hęc spes mea in sinu meo.




℞. Dñe secũdum actũ me um noli me iudica re:



nihil dignũ in conspectu tuo e gi, i deo de-



pre cor ma iestatem tu am, Vt tu Deus



deleas iniquita tem me am.



℣. Amplius laua me Dñe ab iniustitia me a,

& à de licto me o munda me. Vt.

Lectio 9. Iob 10.

QVare de vulua eduxísti me? qui vtinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de vtero translátus ad túmulum. Nunquid non páucitas diérum meôrum finiêtur breui? Dimítte me ergo, vt plangam paululum dolôrem meum, ántequam vadam & non reuértar ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine, terram misériæ, & tenebrârum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. Libera me Domine de vi is inferni, qui portas æreas cōfregisti & visita sti infernum, & dedisti eis lumen vt viderent te, Qui erant in pœnis te nebra rum. ℣. Clamantes & di-

cen tes, aduenisti redemptor noster. Qui erant·

Requiem æternam dona e is Domine, & lux per-

pe tua luceat eis. Qui.

Sequens Responsorium dicitur solummodo in crastino omnium Sanctorum, & quandocunque pro defunctis dicuntur nouem lectiones.

℟. Libera me Do mine de morte æter na in die

illa tremenda: Quãdo cæ li mouẽdi sunt & ter ra,

Dum ve neris iudi. ca re sæculum per i gnem.

℣. Tremẽs factus sum ego & timeo dum discussio ve-

nerit atque ventura i ra. Quando. Dies illa

dies i ræ, calamitatis & mi ſe ri æ, dies magna

& a mara valde. Dum ve neris.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpe-

tua luceat eis. Libera.

Ad Laudes abſolutè incipitur.

Antiph. Exultabunt. Euouae. Pſalmus 50.

MIſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitare mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccàtum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertẽtur.

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contri-

tum & humiliatum Deus non despicies.

B enignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : vt ædificentur muri Hierusalem.

T unc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

R equiem æternam dona eis Domine.



Ant. E x ultabunt Domino ossa humilia ta.



Ant. Exaudi. Euouae. Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Hierusalem.

E xaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

V erba iniquorum præualuerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

B eatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

R eplebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

E xaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè.

P ræparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuũ eius.

T urbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos, à signis tuis: exitus matutini & vesperè delectabis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.

Riuos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.

Benedices coronę anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Exaudi Domine orationem meam, ad te omnis



ca ro veniet. Ant. Me suscepit. Euouae. 5.

Psalmus 62.

DEus Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitiuit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, inuia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terrę: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex verò lętabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Pſalmus 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.


Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Requiem.



Antiph. Me ſuſce pit dextera tua Domine.



Antiph. A porta. Euouae. 2.

Canticum Ezechiæ. *Isaiæ* 38.

EGo dixi, in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

Quæsiui residuum annorum: dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium.

Non aspiciam hominem vltrà: & habitatorē quietis.

Generatio mea ablata est: & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me: de mane vsque ad vesperam finies me.

Sperabam vsque ad mane: quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.

De mane vsque ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelsum.

Domine vim patior, responde pro me, quid dicam aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit.


Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.

Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam vt non periret: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors lau-

dabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.
Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.
Domine saluum me fac: & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ, in domo Domini.
Requiem æternam dona eis Domine.



Ant. A porta in feri e rue Domine animã meam.



Ant. Omnis spiritus. Euouae. 7.

Psalmus 148.

LAudate Dominũ de cælis: laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.
Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.
Laudate eum cæli cælorum: & aquæ quæ super cęlos sunt laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.
Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.
Laudate Dominũ de terra: dracones, & omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.
Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cęlum & terram: & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis eius filiis Israël: populo appropinquanti sibi. Psalmus 149.

CAntate Domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.
Lętetur Israël in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in rege suo.
Laudent nomen eius in choro: in tympano, & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltauit mansuetos in salutem.
Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.
Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.
Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.
Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.


Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Requiem æternam dona eis.




Antiphona. Omnis ſpiritus lau det Dominum.



℣. Audiui vocem de cælo dicentem mihi.

℟. Beati mortui qui in Domino moriuntur.



Antiphona. Ego ſum. Euouae. 2.

Canticum Zachariæ. *Lucæ* 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum : qui à ſęculo ſunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſeruiamus illi.

In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo : omnibus diebus noſtris.


Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordię Dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me




etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit

& credit




Deinde Pater noster. totum secretò. Psalmus. De profundis. cum precibus & orationibus, vt suprà in vesperis pag. 5.


ORDO COMMENDATIONIS animæ postquam est egressa.












Deinde Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Postea Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

TIbi Domine commendamus animas omnium famulorum famularumque tuarum, vt defuncti sęculo tibi viuant, & quæ per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata admiserunt, tu venia misericordiæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

MIsericordiam tuam Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, qui pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus: tamen de tua confisi gratuita pietate, & inolita benignitate, clementiam tuam deposcimus, vt animas famulorum famularumque tuarum, ad te reuertentes, cum pietate suscipias: adsit eis Angelus testamenti tui Michaël, & per manus sanctorum Angelorum tuorum, inter sanctos & electos tuos, in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob patriarcharum tuorum, eas collocare digneris: quatenus liberatæ de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, nullis iam primę natiuitatis vel ignorantię aut proprię iniquitatis seu fragilitatis confundantur erroribus, sed potiùs agnoscantur à tuis, & sanctæ beatitudinis re-

quie perfruantur: vt cùm magni iudicij dies aduenerit, inter sanctos & electos tuos resuscitati, gloria manifestæ contemplationis tuæ perpetuò satientur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



Ant. Suscipiat eas Christus. Euouae.

Psalmus 113.

IN exitu Israël de Ægypto: domus Iacob de populo barbaro.

Facta est iudæa sanctificatio eius: Israël potestas eius.

Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.

Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium?

A facie Domini mota est terra: à facie Dei Iacob.

Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua & veritate tua: nequando dicant gentes, vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cælo: omnia quæcunque voluit, fecit.

Simulachra gentium argentum & aurum: opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent & non audient: nares habent & non odorabunt.

Manus habent & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſraël ſperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

Domus Aaron ſperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

Qui timent Dominum ſperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Iſraël: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: puſillis cum maioribus.

Adiiciat Dominus ſuper vos: ſuper vos & ſuper filios veſtros.

Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum, & terram.

Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum.

Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Suſcipiat eas Chriſtus, qui vocauit eas, & in



ſinu Abrahæ Angeli deducant eas.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori, animam ad ſimilitudinem tuam inſpirare dignatus es, dum, te iubente, puluis in puluerem reuertitur, tu imagines tuas cùm ſanctis & electis tuis, æternis ſedibus pręcipias ſociari, eaſque ad te reuertentes de Ægypti partibus, blandè leniterque ſuſcipias: & Angelos tuos ſanctos eis obuiam mittas, viamque illis iuſtitiæ demonſtra, & portas gloriæ tuæ aperi. Repelle, quæſumus Domine, ab eis omnes principes tenebrarum, & agnoſce depoſitum fidele, quod tuum eſt. Suſcipe, Domine, creaturas tuas, non ex diis alienis creatas, ſed à te ſolo Deo viuo & vero, quia non eſt alius Deus præter te Domine, & non eſt ſecundum opera tua Lætifica clementiſſime Deus animas fidelium tuorum, & clarifica eas in multitudine miſericordiæ tuæ. Ne memineris, quæſumus, iniquitatum eorum antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitauit furor mali deſiderij: licet enim peccauerint, tamen te non negauerunt, ſed ſigno fidei inſigniti, te, qui eas inter omnia feciſti, fideliter adorauerunt. Qui viuis & regnas Deus in ſęcula ſęculorum. Amen.



Ant. Chorus angelorum. Euouae.

Psalmus 46.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.

Tribulationem, & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.

O Domine, libera animam meam, misericors Dominus & iustus: & Deus noster miseretur.

Custodiens paruulos Dominus humiliatus sum, & liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino: in regione viuorum. absque Requiem.

Psalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen Dñi inuocabo.

Vota mea Domino reddam corã omni populo eius:

pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

O Domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



Ant. Chorus Angelorum eas suscipiat, & in sinu



Abrahæ eas collocet: vt cum Lazaro quondam



paupere æternam habeant requiem.

Oremus.

DIri vulneris nouitate perculsi, & quodammodo cordibus sauciati, misericordiam tuam, mundi redemptor, flebilibus vocibus imploramus: vt charo-

rum noſtrorum animas, ad tuam clementiam, qui fons pietatis es, reuertentes blandè leniterq́ue ſuſcipias: & quas illæ ex carnali commercio contraxerunt maculas, tu Deus inolita bonitate clementer deleas, piè indulgeas, obliuioni in perpetuum tradas: atque has laudes tibi cum cęteris reddituras, & ad corpora quandoque reuerſuras, ſanctorum tuorum cœtibus aggregari pręcipias. Qui viuis & regnas Deus, in ſęcula ſęculorum. Amen. Pater noſter. ſecretò.
Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. Oremus pro fidelibus defunctis. Reſp. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Verſ. Requieſcant in pace. Reſp. Amen.
Verſ Domine exaudi orationem meam. Reſp Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

PArtem beatæ reſurrectionis obtineant, vitamq́ue æternam cum ſanctis habere mereantur in cęlis. Per te Ieſu Chriſte ſaluator mundi rex glorię, Qui in trinitate perfecta viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum.
Pſalmus. De profundis clamaui. In fine. Requiem æternam. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus cui ſoli competit medicinam pręſtare poſt mortem, præſta quæſumus, vt animę fidelium tuorum, terrenis exutæ contagiis, in tuæ redemptionis parte numerentur.

Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor: animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.



Vers. Requiescant in pace. Resp. Amen.

Quibus finitis, offertur pro defuncto, [defuncta] sacrificium missæ, quo peracto, sacerdos vadit ad caput feretri cum pluuiali; & cæteris clericis ad latera feretri consistentibus, incipit hanc orationem absolute, dicendo.

In collegiatis, sacerdos indutus pluuiali vadit ad caput feretri cum diacono & accolyto deferente thuribulum & incensum, subdiacono manente ad pedes feretri cum cruce inter duos ceroferarios, facie versa ad sacerdotem: Et tunc sacerdos incipit.

NOn intres in iudicium cum seruo tuo [ancilla tua] Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum [eam] quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quem [quam] tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat, sed gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui

[quæ] dum viueret, insignitus [ta] est signaculo sanctæ Trinitatis. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Hîc notandum est, quòd in absolutione laici defuncti cantatur vnum responsorium tantùm, aut ad summum duo; si vnum tantùm, illud erit Libera. cum sua collecta: si verò duo, primum erit, Ne recorderis, cum sua collecta, & secundum, Libera. prout hîc sequuntur. Responsorium. Ne recorderis. vt suprà in officio defunctorum *pag*. 28. quo finito dicat sacerdos: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. quod dum dicitur, sacerdos accipiens aquam benedictam asperget corpus defuncti, & circumeundo incensabit, reuersusque ad caput feretri, dicet: ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Oremus.

FAc quæsumus Domine, hanc cum seruo tuo defuncto [ancilla tua defuncta] misericordiam, vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui [quæ] tuam in votis tenuit voluntatem, vt sicut hîc eum [eam] vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum [eam] tua miseratio societ angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita oratione cantatur responsorium. Libera me vt suprà in officio defunctorum *pag*. 37. quo finito sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. iterum sacerdos accepta aqua benedicta aspergat corpus defuncti, & incenset vt suprà, & dicat. ℣. Et ne nos

inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui [famulæ tuæ] vt defunctus [ta] sæculo tibi viuat, & peccata quæ per fragilitatem carnis humana conuersatione commisit, tu venia misericordissimę pietatis absterge. Per Christum Dñm nostrum. ℟. Amen.

Tunc sacerdos dicat. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. choro respondente: Et lux perpetua luceat eis: postea cantor seu custos cantat alta voce. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

His finitis moneat sacerdos vt corpus defuncti deferatur ad locum sepulturæ, & interim canantur sequentes Antiphonæ.




Ant. In paradisum deducant te Angeli, in tuo aduen-




tu suscipiant te martyres, & perducant te in ciui-



tatem sanctam Hierusalem.



Ant. Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Laza-



ro quondam paupere æternam habeas requiem.

Quando corpus delatum fuerit ad ſepulchrum, primò benedicatur foſſa ſiue ſepulchrum, dicendo:

℣. Adiutorium meum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

DEus qui Abraham Iſaac & Iacob in ſpelunca duplici ſepultos, in libro vitæ ac totius glorię dignitate principes annotaſti, benedicere ✠ digneris hunc tumulum famuli [læ] tui [tuæ] incurſuſque ab eo omnium aëriarũ poteſtatum diſſocies, & tentamenta callidi hoſtis propitiatus elonges. Reſpice Domine ſuper hanc fabricam ſepulturæ, deſcendat ad eam ſpiritus tuus ſanctus; vt, te iubente, ſit in hoc loco famulo tuo [famulæ tuæ] quieta dormitio, & tempore iudicij cum ſanctis tuis omnibus vera reſuſcitatio, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto qui tecum & cum Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſeculorũ. ℟. Amen.

Poſtea incipiatur Antiphona. Ego ſum reſurrectio & vita, *&c.* cum cantico, Benedictus Dominus Deus Iſraël, *&c. pag.* 46. vel Pſalmus. Miſerere mei Deus, *&c. pag.* 38. In fine cantici vel pſalmi, dicatur tota Antiphona, Ego ſum reſurrectio, *&c.*

Interim dum canitur, Benedictus, vel Psalmus Miserere, corpus traditur sepulturæ. Corpore autem in sepulchrum demisso, sacerdos accepta cruce vel ligone faciat super loculo tres cruces ✠. Primam ad caput dicendo, Signo hoc corpus signaculo sanctæ crucis ✠. Secundam, ad medium loculi dicendo, Vt in die iudicij resurgat ✠. Tertiam ad pedes dicendo, Et vitam æternam possideat ✠ Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde trina immissione aliquantulæ terræ, loculum tegendo dicat sacerdos. De terra plasmasti eum [eam] ossibus & neruis compegisti eum [eam] Domine, resuscita eum [eam] in nouissimo die, Per Iesum Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Finita prędicta Antiphona, sacerdos accipiat aquam benedictam & aspergat corpus defuncti & tumulum & postea incenset & dicat alta voce. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo [ancilla tua] ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SAtisfaciat tibi quęsumus Domine Deus noster pro anima famuli tui fratris nostri [ancillæ tuæ sororis nostræ] beatissimæ Dei genitricis semper virginis Mariæ & beatorum Apostolorum Petri & Pauli om-

niumque sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ tuę humilis & deuota supplicatio, vt peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, nec eum [eam] patiaris cruciari gehennalibus flammis quem [quam] filij tui Domini nostri Iesu Christi prętioso sanguine redemisti. Qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat in sęcula sęculorũ. ℞. Amen. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Tunc sacerdos dicat. Vers. Anima eius & animæ omnium fidelium defunctorum. Cantores immediatè subiungant, Requiescant in pace. Resp. Amen.

His finitis sacerdos cum suis regreditur in Ecclesiam cantando sequens Responsorium. Memento mei Deus, vt suprà pag. 26.



℟. Re quiem æternam dona e is Domine & lux



perpetu a lu ceat e is. Nec aspi ciat.

Pater noster Vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Requiem æternam dona ei Domine. Resp. Et lux perpetua luceat ei. Vers. Requiescat in pace. Resp. Amen. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui [famulæ tuæ] vt defunctus, [defuncta] sæculo tibi viuat, & si quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum, &c.

Prædicta forma tradendi corpus ecclesiasticæ sepulturę etiam obseruanda est, quando sine Officio Exequiarũ corpus sepelitur: corpus enim defuncti deferetur ad Ecclesiam quod semper faciendum est quoad fieri potest, & si sit ante meridem, & propinqui postulent, fiet missa, & reliqua omnia vel cantando vel legendo fient vt suprà dictum est tam pro pauperibus quàm diuitibus,


OFFICIVM SEPVLTVRÆ SACERDOTIS vel clerici defuncti.


Sacerdos indutus superpelliceo, stola ac pluuiali, procedét ad domum defuncti eo ordine & modo quo supra dictum est, & vbi funus illatum fuerit in Ecclesiam celebrabitur missa, qua finita, sumpto pluuiali dicet absolutè.


NOn intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Chri-

stianæ

ſtianæ commendat, ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, inſignitus eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis. Qui viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.











Quo finito ſacerdos dicat: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. quod dum dicitur, ſacerdos accepta aqua benedicta aſpergat corpus defuncti & circumeundo incenſet, reuerſuſque ad caput feretri dicat. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo.

Oremus.

Oremus.

DEus cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, vt quidquid anima famuli tui vitiorum, tuæque voluntati contrarium fallente diabolo, seu propria iniquitate, vel fragilitate, contraxit: tu pius & misericors abluas indulgendo, eamq; suscipi iubeas per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum Patriarcharum tuorum, Abrahæ scilicet amici tui, Isaac electi tui, & Iacob dilecti tui, quò aufugit dolor & tristitia, atque suspirium: fidelium quoque animę fęlici iucunditate lętantur; & in nouissimo magni iudicij die, inter sanctos & electos tuos eam facias perpetuę glorię percipere portionem: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, quam præparasti diligentibus te. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicta hac oratione cantatur Responsoriũ. Ne recorderis. quod habetur suprà in officio defunct. *pag.* 28. quo finito sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. quod dum dicitur, sacerdos sumpta aqua benedicta, asperget corpus defuncti, & incensabit vt suprà, & postea dicet: Vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo.

Oremus.

FAc quæsumus Domine, hanc cum seruo tuo defuncto misericordiam, vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, vt sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ angelicis cho-

ris. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum qui in trinitate perfecta, &c. Reſp. Amen.

Finita oratione, cantatur Reſponſorium. Libera me Domine de morte æterna, vt habetur ſuprà in officio defunctorum *pag.* 37. quo finito, dicit ſacerdos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. iterum accepta aqua benedicta, ſacerdos aſpergat corpus defuncti, & incenſet vt ſuprà, & poſtea dicat: Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Oremus.

ABſolue, quæſumus Domine, animam famuli tui, vt defunctus ſæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Defertur funus ad tumulum cantanturque Antiphonæ. In paradiſum, *&c.* & Chorus Angelorum. *pag.* 58.

Quibus dicantatis cùm peruentum fuerit ad tumulum, ſacerdos benedicit tumulum dicendo: ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus qui Abraham Iſaac & Iacob in ſpelunca duplici ſepultos, in libro vitæ ac totius gloriæ dignitate principes annotaſti, benedicere ✠ digneris hunc tumulum famuli tui, incurſuſq; ab eo omnium aëriarum poteſtatum diſſocies, & tentamenta callidi hoſtis propitiatus elonges. Reſpice Domine ſuper

hanc fabricam ſepulturæ, deſcendat ad eam ſpiritus tuus ſanctus; vt, te iubente, ſit in hoc loco famulo tuo quieta dormitio, & tempore iudicij cum ſanctis tuis omnibus vera reſuſcitatio, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto qui tecum & cum Spiritu ſancto viuit & regnat in ſęcula ſęculorum. Reſp. Amen.

Dicta oratione, aſpergat ſacerdos aqua benedicta & incenſet funus & tumulum.

His peractis, cantantur ſequentes Antiphonę in perſona defuncti, & cantor eas incipiat.



Ant. Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas



confitebor Domino. Euouae. Pſalmus 117.

COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc Iſraël, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam omnes inimicos meos.
Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in hominibus.
Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.
Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Circundantes circundederunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Circundederunt me sicut apes, & exarserũt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Impulsus, euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.
Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis iustorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.
Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini.
Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iustitię, ingressus in eas cõfitebor Domino: hęc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
Lapidem quem reprobrauerũt ædificantes: hic factus est in caput anguli.
A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.


Conſtituite diem ſolemnem in condenſis: vſque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.


Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. repetitur Antiphona.



Ant. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis,



vſque ad domum Dei. Euouae 8.

Pſalmus 41. Quemadmodum deſiderat ceruus, &c. vt ſuprà in officio defunctorum pag. 32. finito pſalmo repetitur Antiphona.



Ant. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habi-

tabo



Psalmus 131.

MEmento Domine Dauid: & omnis mansuetudinis eius.

Sicut iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meę: si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis siluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.

Surge Domine in requiem tuam: tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitiam: & sancti tui exultent.

Propter Dauid seruum tuum: non auertas faciem Christi tui.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponā super sedem tuam.


Si custodierint filij tui testamentum meum: & testimonia mea hæc quæ docebo eos.

Et filij eorum vsque in sæculum: sedebunt super sedem tuam.


Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem ſibi.
Hæc requies mea in ſæculum ſæculi : hîc habitabo, quoniam elegi eam.
Viduam eius benedicens benedicam : pauperes eius ſaturabo panibus.
Sacerdotes eius induam ſalutari : & ſancti eius exultatione exultabunt.
Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo.
Inimicos eius iuduam confuſione : ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.
Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. repetitur Antiphona.



Antiph. De terra formaſti me, & carne induiſti me



redemptor meus Domine, ſuſcita me in nouiſſimo



die. Euouae.

Pſalmus 138.

DOmine probaſti me,& cognouiſti me:tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam.
Intellexiſti cogitationes meas de longè : ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti.

Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua, tu formaſti me & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt & non potero ad eam.

Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?

Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.

Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obſcurabũtur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderũt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si occideris Deus peccatores : viri ſanguinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates ſuas.

Nonne qui oderunt te Domine oderam : & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi.

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, in cognoſce ſemitas meas.


Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. repetitur Antiphona.



Ant. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine,



quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis



viuens. Euouae. 8. Pſalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua : exaudi me in tua iuſtitia.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo : quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam : humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.
Memor fui dierum antiquorum meditatus ſum in omnibus operibus tuis & in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.
Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.
Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperaui.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te cõfugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.
Et perdes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.
Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. repetitur Antiphona.
Ant. Omnis ſpiritus. Pſalm. 148. Laudate Dominum de cælis. Pſalm. 149. Cantate Domino canticum nouum. Pſalm. 160. Laudate Dominum in ſanctis eius, &c: vt ſuprà in officio defunctorum. *pag* 44.

Antiph. Ego sum. Canticum. Benedictus Dominus Deus Israël, *&c.* vt suprà in officio defunct. *pag.*46.

Porrò cùm incepta fuerit Antiphona. De terra formasti me. tunc demittetur corpus defuncti in sepulchrum, quo demisso loculus aspergitur aqua benedicta, sumptaque cruce vel ligone faciat sacerdos tres cruces, Primam ad caput dicendo, Signo hoc corpus signaculo sanctæ crucis ✠. Secundam, ad medium loculi dicendo, Vt in die iudicij resurgat ✠. Tertiam ad pedes dicendo, Et vitam æternam possideat ✠ Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde trina immissione aliquantulæ terræ, dicat. De terra plasmasti eum, ossibus & neruis compegisti eum Domine, resuscita eum in nouissimo die. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Interea autem quòd canentur reliqui psalmi, & canticum. Benedictus, cum antiphonis, leget sacerdos sequentes orationes. Oremus.

FRatres charissimi pro spiritu fratris nostri N. quem Dominus de laqueo huius sæculi liberare dignatus est, cuius corpusculum hodie sepulturæ traditur, vt eum pietas Dei in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob collocare dignetur, vt cùm iudicij dies aduenerit, inter sanctos & electos suos, eum in parte dextra collocandum resuscitari faciat. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen. Oremus.

DEus cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, vt quidquid anima famuli tui vitiorum, tuæque voluntati contrarium fallente

diabolo, ſeu propria iniquitate, vel fragilitate, contraxit: tu pius & miſericors abluas indulgendo, eamq́; ſuſcipi iubeas per manus ſanctorum Angelorum tuorum deducendam in ſinum Patriarcharum tuorum, Abrahæ ſcilicet amici tui, Iſaac electi tui, & Iacob dilecti tui, quò aufugit dolor & triſtitia, atque ſuſpirium: fidelium quoque animę fęlici iucunditate lętantur, vt in nouiſſimo magni iudicij die, inter ſanctos & electos tuos eam facias perpetuę glorię percipere portionem: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quam præparaſti diligentibus te. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

TEmeritatis quidem eſt Domine, vt homo hominem, cinis cinerem, mortalis mortalem tibi Domino Deo noſtro audeat commendare, ſed quia terra ſuſcipit terram, & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in ſuam redigatur originem, inde tuam piiſſime Pater, lachrymabiliter quæſumus pietatatem, vt huius famuli tui animam, quam de huius ſæculi cænulenta voragine ducis ad patriam: Abrahæ amici tui ſinu recipias, & refrigerij rore perfundas. Sit ab æſtuantis gehennæ truci incendiis ſegregata, & beatæ requiei tuæ, te donante, coniuncta, & ſi quæ ſunt illi Domine, dignę cruciatibus culpę, tu eas gratia mitiſſimę lenitatis tuę indulge: nec peccati recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ſed indulgentię tuę piam ſentiat ſanitatem. Cumq́; finito mundi termino, ſupernum cunctis illuxerit regnum, nouus homo, ſanctorum omnium cętibus aggregatus, cum

electis tuis resurgat in parte dextra collocandus. Per Christum Dñm nostrum. ℟. Amen. Oremus.

OPus est misericordiæ, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, rogare pro alijs, etsi pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus. Suscipe rogamus animam famuli tui N. reuertentem ad te: adsit ei Angelus testamenti tui Michaël, & per manus sanctorum Angelorum tuorum, inter sanctos & electos tuos, in sinibus Abrahæ, Isaac & Iacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris. Libera eam, Domine, de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, ne famulus tuus vllis primæuę natiuitatis vel ignorantiæ confundatur erroribus, agnoscatur à tuis, & misericordia bonitatis tuæ, ad locum refrigerij & quietis in sinum Abrahæ tranferatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DEbitum, humani corporis sepeliendi, officium, fidelium more complentes, Deum, cui omnia viuunt, fideliter deprecamur, vt hoc corpus fratris nostri N. à nobis in infirmitate sepultum, in ordine sanctorum suorum resuscitet, & eius spiritum sanctis ac fidelibus aggregari iubeat, cum quibus memorabili gloria, & perenni fœlicitate perfrui mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam inspirare dignatus es, dum, te iubente, puluis redit in puluerem, tu imaginem tuam cum sanctis, & electis tuis, æternis sedibus iubeas sociari. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.


His omnibus expletis, postquam defunctus sepultus fuerit, sacerdos cum aqua benedicta aspergat tumulum. Et cum cantatum fuerit canticum Benedictus, cum Antiphona. Ego sum. dicet alta voce. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Satisfaciat tibi quęsumus Domine Deus noster pro anima famuli tui fratris nostri beatissimæ Dei genitricis semper virginis Mariæ & beatorum Apostolorum Petri & Pauli omniumque sanctorum tuorum oratio,& præsentis familiæ tuæ humilis & deuota supplicatio, vt peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat,nec eum patiaris cruciari gehennalibus flammis quem filij tui Domini nostri Iesu Christi pretioso sanguine redemisti. Qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorũ. Amen.
Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.
Tunc sacerdos dicat. Vers. Anima eius & animæ omnium fidelium defunctorum. Cantores immediatè subiungant, Requiescant in pace. Resp. Amen.

His finitis sacerdos cum suis regreditur in Ecclesiam cantando sequens Responsorium. Memento mei Deus, *suprà in Offic. Defunct. pag. 26.*





Pater noſter. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. Requiem æternam dona ei Domine. Reſp. Et lux perpetua luceat ei. Verſ. Requieſcat in pace. Reſp. Amen. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui, vt defunctus ſæculo tibi viuat, & ſi quæ per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

DE SEPVLTVRA PARVVLI ante vſum rationis defuncti.

SI infans mortuus fuerit ante perceptum baptiſmum, nec à ſacerdote, nec in loco ſacro, loco tamen honeſto ſepeliri debet. Paruuli autem qui poſt baptiſmum ante vſum rationis eripiuntur, oratione Eccleſiæ non indigent, quia nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu & non ſe- Rom. 8.

cundum

cundum carnem ambularunt, *Et sicut iniuriam faceret martyri, qui pro martyre oraret, ita innocentiæ baptismali iniurius esset, si quis eis salutis requiem precaretur, qui innocentes, immaculati, puri, ac Deo dilecti, effecti sunt cohæredes Christi, ita vt nihil prorsus ab ingressu cæli eos posit remorari.* Auguſt. ſerm. 17. de verb. Apoſt. Concil. Trid.

Quia tamen horum corpusculis, tanquam organis, & vasis, sanctus infusus fuit spiritus; etiam illorum funera officiosa sunt pietate curanda in protestationem fidei resurrectionis, & ad laudem diuinæ prouidentiæ, sub qua & ista regeneratorum corpora requiescere creduntur. Aug. l. 1. de ciuit. Dei c. 1.

Si parentes pueri petant, vt parochus accedat domum ipſorum & comitetur funus, non dicet ſuper funus paruuli, pſalmum De profundis. vel Requiem, ſed pſalmum Laudate pueri Dominum. vel pſalmum Laudate Dominum omnes, &c. Gloria Patri, &c. cum collecta de Trinitate vel de Spiritu ſancto ſi velit. Si petant fieri ſacrum, non faciet ſacrum pro defunctis, ſed de Angelis, vel de ſanctiſſima Trinitate in gratiarum actionem, additis collectis, Deus veniæ largitor. & Fidelium. pro defunctis.

Finita miſſa, vel ſi non petatur miſſa celebrari, funere in Eccleſia collocato, parochus ante feretrum dicet. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Pſalmus 22.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animã ſuam: nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis eſt] iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, &c.

Quo finito, dicatur. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti. ℟. Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.


OMnipotens & mitiſſime Deus, qui omnibus paruulis, renatis fonte baptiſmatis, dum migrant è ſæculo ſine vllis eorum meritis vitam illico largiris æternam, ſicut animæ huius paruuli hodie credimus te feciſſe, fac nos, quæſumus Domine, per interceſſionem beatæ Mariæ virginis & omnium ſanctorum

tuorum hîc purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiſo cum beatis paruulis peremniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Dum portatur ad tumulum, dicatur Antiphona.



Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus lau-



date Dominum de cælis. Euouae. 8

Pſalmus 148. Laudate Dominum de cælis. &c. cum Gloria patri. ſuprà in officio defunct. pag. 44. repetitur Antiphona. quibus finitis, ponetur corpuſculum infantis in ſepulchro, & Sacerdos faciet tres cruces, & mittet terram ſuper loculum eo modo quo dictum eſt de ſepultura laici adulti. pag. 60.

Quo facto dicet, Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp Sed libera nos à malo. Verſ. Sinite paruulos venire ad me. Reſp. Talium eſt enim regnum cęlorum. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſanctę puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cęlorum regna hodie miſericorditer vocare dignatus es, digneris etiam Domine ita nobiſcum miſericorditer agere, vt meritis tuę ſanctiſsimę paſsionis, & interceſsione beatę Marię virginis & omnium ſanctorum tuorum,

in eodem regno nos cum omnibus ſanctis & electis tuis ſemper facias cõgaudere. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Deinde iubeat Parochus circumſtantes, vt occaſione ſæpulturę huius paruuli, orent pro propinquis eiuſdem paruuli, & omnibus in ſpe miſericordiæ quieſcentibus, dicendo cum ipſo Pſalm. Miſerere. vel De profundis. *& in fine vtriuſque addendo* Requiem æternam, &c Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. A porta inferi. Reſp. Erue Domine animas eorum. Verſ. Domine exaudi orationem meam Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, in cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis & famulabus tuis omnibus hic & vbique in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Verſ. Requiem æternam dona eis Domine.
Reſp Et lux perpetua luceat eis.
Verſ. Requieſcant in pace. Reſp. Amen.

FINIS SECVNDAE PARTIS.

MANVALIS AVDOMARENSIS PARS TERTIA,

IN QVA AGITVR

de Officiis populo exhibendis, in Prædicatione, Benedictione, & Exorcizatione.

PARS TERTIA MANVALIS AVDOMARENSIS,

In qua agitur de Officiis populo exhibendis, in Prædicatione, Benedictione, & Exorcizatione.

PASTOR *in concionibus suis conformabit se constitutioni Concilij secundi Prouincialis Cameracensis*, tit. 2. de Doctr. & Præd. cap. 1. *explicabitq; Epistolam ant Euangelium diei. Die autem Dominica ante vel post concionem suam in summo sacro, post Offertorium, imprimis indicet festa quæ occurrent ea hebdomada, monens vt omnes abstineant ab operibus seruilibus, ab ebrietate & cõmessationibus, ac omnibus prauis operibus, sed intersint summo sacro & vesperis, gratias agentes Deo ac deuotê orantes pro sua, suorum, ac totius Reipublicæ salute; & vt pietati & misericordiæ bonisq; officiis sedulò incumbant. Si verò sint festa quæ tãtum pro deuotione cuiusque sint celebranda, declaret se facturum diuinum Officium, eo modo quo solebat fieri, dum hæc festa ex mandato strictè obseruabantur, se proinde rogare, vt omnes velint interesse, saltem summo sacro. Sed si nulla occurrant festa, id etiam denuntiabit, dicens licitum esse vnicuique vt quouis die præsentis hebdomadæ laboribus ac operibus suis solitis vacet, hortans eos vt operando semper Deum præ oculis habeant, & vt Paulus monet, omnia faciant in nomine & ad honorem Dei.*

Si ieiunia occurrant ea hebdomada obseruanda, ea similiter indicet, declarans non satis esse, vt abstineamus à cibo,

ſed ad hoc ieiunia indici, vt feruentiùs orationi ac rerum diuinarum contemplationi vacemus, concupiſcentiam carnis refrenemus, & peccata noſtra expiemus, maioraq́ charitatis opera exerceamus, ad minus dantes pauperibus quod iis diebus nobis ſubtrahimus.

Deinde faciet proclamationes bannorum matrimonialium (ſi ſint faciendæ) eo modo quo ſuprà dictum eſt in prima parte pag. 37. dicens:

In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Nos proclamamus primum, vel ſecundum, vel tertium bannum inter N. (hîc exprimet nomen & cognomen & parochiam ſponſi) ex vna, & inter N. (hîc declarabit nomen, cognomen & parochiam ſponſæ) ex altera parte, mandantes ſub pœna excommunicationis, vt ſi quis inter prædictos deſponſos nouerit aut iuſtè dubitet ſubeſſe aliquod impedimentum, ob quod ad matrimonium inter ſe ineundum admitti non debeant, id ſtatim ſignificet.

Poſtea denunciabit excommunicatos, priùs generatim, dehinc ſpeciatim, dicens: Declaramus vobis excommunicatos eſſe omnes hęreticos, & ſchiſmaticos, & eos qui diabolicis præſtigiis & ligaturis efficiunt vt noui coniuges conuenire nequeant. Item omnes pręſtigiatores, ſortilegos, diuinos ac maleficos. Item omnes qui iura, poſſeſſiones, cenſus aut bona Eccleſiæ aut pauperum vſurpant aut detinēt. Item omnes alios quos Eccleſia habet pro excommunicatis. Mandantes vt omnes huiuſmodi perſonæ hinc diſcedant, & ab omnibus euitentur. Denuncio autem vobis ſpeciatim excommunicatum eſſe N. ab Epiſcopo noſtro Au-

domarensi ob talem causam, ac proinde nemo eum salutet, comedat aut bibat, aut aliquo modo cum eo conuersetur, nõ magis extra templum quàm in tẽplo.

Quia etiam hoc sacro die conuenimus ad agendas Deo gratias de beneficiis nobis præstitis, & ad impetrandam veniam de peccatis commissis, & ad promouendum honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ quantum in nobis est, & ad exercenda opera misericordiæ, & ad orandum pro inuicem; Commendo vestris precibus & orationibus imprimis Sanctissimum Dominum Papam N. Reuerendiss. Dominum Episcopum nostrum Audomarensem, & omnes superiores nostros Ecclesiasticos, quibus animarum nostrarum cura incumbit. Item Principes nostros omnesque Illustres ac nobiles viros ac consiliarios eis assistentes, Magistratus quoque & Gubernatores, & generatim omnes qui in viuis degunt, bonos quidem vt diuina bonitas donet eis perseuerantiam, malos verò vt Deus illos illuminet per suam gratiam, vt relictis peccatis, cõuertant sese ad meliorem vitam. Et tunc subjiciet, si Ecclesiæ consuetudo habet, Pro quibus omnibus dicetis Pater noster. Et nos dicemus Psalm. 66. Deus misereatur nostri. &c. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus à quo sancta desideria, recta consilia, &c. vel, Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte, &c. Per Christum Dominum nostrum.

Commendo etiam vobis omnes qui in vera fide & charitate defuncti sunt, nimirum parentes, fratres, so-

rores, amicos, & benefactores, cunctoſque quorum corpora in Eccleſia hac aut cæmiterio requieſcunt, & præ cæteris eos quorum anniuerſaria hac hebdomada celebrabuntur, videlicet N. cuius anniuerſarium celebrabitur feria 2. N. cuius anniuerſarium decantabitur feria 5. &c. pro quibus & omnibus fidelibus defunctis dicetis Pater noſter. & Aue Maria. Et nos De profundis clamaui, &c. Requiem æternam dona eis Domine. &c. A porta inferi. &c. Oremus. Fidelium Deus omnium conditor. &c. Requieſcant in pace. Amen.

Verùm cùm aliorum tam viuorum quàm defunctorum memores fuerimus, ęquum eſt, ne noſmetipſos obliuioni demus. Commendo itaque vnicuique propriam ſalutem, vtque per Orationem dominicam ſemper refugium habeatis ad Dominum, & per Salutationem angelicam interceſſionem poſtuletis virginis Matris. Itaque pariter dicamus Orationem Dominicam, quæ ſeptem petionibus omnia quę petere poſſumus, complectitur, ſubiungentes Salutationem angelicam. Hîc dicat Pater noſter. & Aue Maria

Commendo etiam vobis promiſſionem quam feciſtis in baptiſmo, profitentes vos velle Chriſto Deo ſeruire vera fide per charitatem operante, dicentes per ora veſtrorum ſuſceptorum, *Credo*, quod præſtare non poteſtis, niſi in viua memoria ſemper habeatis Symbolum Apoſtolicum, decem præcepta Decalogi, & quinque mandata Eccleſiæ, ea ergo ſimul dicamus.

Hîc Parochus ea dicet ſermone vernaculo, quibus dictis, ſubjiciat:

Commendo etiam vobis alteram partem vestræ promissionis factæ in baptismo, qua abrenūciauimus Sathanæ & omnibus pompis & operibus eius. Ac proinde vt vitemus peccata quæ sunt opera diaboli, & cōmemoremus semper nouissima nostra, ne peccemus, vt monet Sapiens, & vt per Ecclesiæ Sacramenta accessum habeamus ad Deum, & accipiamus ab eo remissionem peccatorum, & gratiam ad bene viuēdum, vnà recitemus septem peccata capitalia, vnde alia originem ducunt, quatuor nouissima, & septem Ecclesiæ sacramenta. Porrò cùm nō ita vixerimus, quin sæpiùs Deum offenderimus, nam in multis offendimus omnes, humiliemus nos coram diuina maiestate, agnoscentes peccata nostra dicentes Confiteor. hic dicet cum eis generalem confessionem, qua dicta, subjiciet has orationes. Misereatur vestri &c. Indulgentiam, absolutionem, &c. recedensque ab eis dicet:

Orate pro me, & ego pro vobis, vt hanc hebdomadam possimus bene transigere ad honorem Dei & ad animæ nostræ salutem.

Si in prima missa, dum facta est catechizatio, hæc dicta fuerint, non opus erit ea repetere.

DE FESTIS.

Festa autem quæ obseruātur in hac Diœcesi, duplicia sunt, quorumdam enim obseruatio præcepta est & ex mandato strictè debent obseruari: quorumdam verò obseruatio committitur deuotioni cuiusque, quibus diebus Parochus tenetur facere Officium diuinum eo modo quo solebat facere quando

ex præcepto celebrabantur. Omnia autem festa obseruanda tam ex præcepto quàm ex deuotione recensentur in Synodo diœcesana, tit. De festis. cap. 2. & 4.

DE TRANSLATIONE FESTORVM.

SI festum Annunciationis beatæ Mariæ Virginis inter Dominicam Palmarum & Dominicam Quasimodo inciderit, feria secunda post Dominicam Quasimodo etiam à populo ferietur. Si verò in Dominicam Quadragesimæ inciderit, celebretur tam à clero quàm a populo feria secunda immediate sequente.

Si festum S. Marci occurrerit ipso die Paschæ vel intra octauas Paschæ, transfertur in feriam secundam post Dominicam Quasimodo, & tunc celebrabitur tam à Clero quàm à populo, fietq; processio, obseruabiturq; ieiunium vsque ad finitam processionem, & abstinentia à carnibus tota die. Si verò dictum festum inciderit in Dominicam aliquam post Pascha, festum celebrabitur tam à Clero quàm à populo ipsa die Dominica, sed processio transferetur in feriam secundam immediatè sequentem, & tunc ieiunabitur & abstinebitur à carnibus, vt iam dictum est.

Si festum relationis S. Audomari, quod dicitur In floribus, incidat in festum venerab. Sacramenti, transferetur in diem immediatè sequentem.

DE IEIVNIIS.

IEiunia obseruanda in Diœcesi Audomarensi, enumerantur in Synodo Diœcesana, tit. de Ieiun. cap. 1.

MONITIO ET EXHORTATIO facienda initio Quadragesimæ.

PArochus sedulò monebit populum suum vt debitè obseruet Quadragesimam, eam enim exemplo Christi nobis commendatam & ab Apostolis institutam, & à toto populo Christiano per totum orbem semper obseruatam ad decimas Deo dandas totius anni. Vt vnusquisque sedulò secum expendat vitã suam, an conueniat cum lege Christi, ne quid in eo sit quod eum impediat quo minus possit cum Christo resurgere & vitam æternam nobis promissam & sanguine Christi comparatam ingredi. Vigilare enim nos Dominus monet, *quia nescimus diem neque horam* quando venturus sit, diligenter itaque considerate statum vitæ vestræ. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Iam hora est nos de somno surgere. Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus. Ne tardes conuerti ad Dominum* (inquit Ecclesiastes) *& ne differas de die in diem.* Dominus enim vos vocat: *Venite* (inquit) *omnes qui laboratis & onerati estis*, &c. *Nolo mortem peccatoris. Quare moriemini domus Israel, reuertimini & viuite.* Videte in quo statu sitis qui perseueratis in peccato mortali, estis enim inimici Dei, filij diaboli. Quidquid facitis non placet Deo, nec meritorium est, estis sub iugo diaboli & ita morientes cum eo projiciemini in tenebras exteriores & in ignem æternum. Itaque iam initio Quadragesimæ debetis confiteri & pænitentiam agere. Ea enim semper fuit Ecclesiæ consuetudo, vt ipso die Cinerum pænitentes susciperent habitum pænitentię & accipiendo cineres professi estis vos ex

eo tempore velle agere pęnitentiam. Deinde quomodo vestrum ieiunium & abstinentia, orationes, eleemosynæ, aliaque opera erunt grata Deo, nisi priùs deposita sarcina peccati, redeatis cum eo in gratiam? Tertiò quanta est irreuerentia in Paschate demum cõfiteri, & mox à confessione suscipere corpus Domini? Perinde sanè atque si quis scabie plenus, scabiem nonnihil fricet, & purulentiam obiter abstergat, & ita currat ad mensam potentissimi ac summi Regis. Denique quomodo potest esse vera pęnitentia, quam quis tunc demum vult agere, cùm minimè est oportunum, & cùm Sacerdos maximè impeditur. Tales profectò nõ sunt tunc audiendi, sed differenda est eorum cõfessio, si expediens fuerit, non tamen vltra octauas Paschæ. Nunc itaque præparate vos ad agendam veram pęnitentiam, & in vos reuersi, imprimis concipite odium contra peccata, detestantes quidquid Deo potest displicere, & conuertimini ad eum in toto corde vestro, volentes deinceps viuere prout ei promisistis in baptismo, malentes mori quàm ipsum offendere. Malè autem faciunt qui nullo pręmisso examine currunt ad Sacerdotẽ, cupientes ab eo interrogari, cùm vnusquisque sui debeat esse accusator, & peccata sua confiteri. Cõcepta igitur bona voluntate, dicite cum Ezechia: *Recogitabo tibi omnes annos*, seu dies, *meos in amaritudine animæ meæ*. Et facite examen conscientiæ vestrę, ea diligentia quàm abhiberetis in prętiosa margarita quęrenda, aut magno rerum temporalium lucro assequendo, discurrendo per tempora, loca, personas, & negotia in quibus estis versati; inquirẽdo an transgres-

ſi fueritis præcepta Decalogi, vel commiſeritis peccata capitalia, vel incideritis in peccata aliena, dando conſilium, auxilium, vel ea non impediendo, *&c.* Quo examine facto, debetis ſingula peccata mortalia deteſtari, & ea ſingulatim deflere, idq́ue ex amore & charitate, dolendo quòd Creatorem, Patrē, & Redemptorem veſtrum tam turpiter per illa offenderitis, ſtatuendo firmiter ea nunquam repetere, & vitare deinceps omnes eorum occaſiones. Cum hac vera contritione debetis accedere Sacerdotem, & de iis coram ipſo tanquam Chriſti vicario vos accuſare, eaq́ue deteſtari, & ſtatum vitæ malum repudiare ad obtinendam abſolutionem & remiſſionē merito ſanguinis Chriſti. Qua obtenta, & ſatisfactione adimpleta, ſtudium veſtrum verſari debet, hac Quadrageſima, vt carnem ſubjiciatis ſpiritui, & prauas cōſuetudines vincatis, & omnem prauam ſocietatē à vobis amoueatis, iuxta illud Chriſti: *Si oculus tuus, manus, aut pes ſcandalizat te, &c.* vt poſſitis verè nouam vitam ducere, & verè cum Chriſto reſurgere, & dignè accipere ſacram communionem.

Monitio & exhortatio facienda Dominica Paſsionis, vt omnes ſe ſedulo pręparent ad ſacram communionem accipiendam in feſto Paſchę iuxta mandatum Eccleſię.

TEmpus nunc inſtat, chariſſimi, quo vnicuique Chriſtiano ſumenda eſt ſacroſancta Euchariſtia. *Omnis enim vtriuſque ſexus* (inquit Concilium) *ad minus in Paſcha ſacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiat, alioquin &*

viuens

viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Iuxta autem declarationem Eugenij quarti tempus paschalis communionis durat à Dominica proxima vsque ad octauã Paschæ inclusiuè. Quare prætermittere nolui quin hodie vos admonerem, vt vos præparetis ad debitè cõmunicandum: qui enim bene communicat, plenitudinem accipit gratiæ, qui verò malè, *reus efficitur corporis & sanguinis Domini, & iudicium sibi manducat*. Imprimis *autem probet seipsum homo*, (inquit Paulus) & examinet se, an sit liber ab omni peccato mortali, & propositum firmum habeat rectè viuendi, prout Christo promisit in baptismo; an, si fuerit in malo vitę statu, eum relinquat, & velit fugere occasiones peccati. Qui enim aliter affectus est, mortuus est, nec potest sumere cibum viuentium, neque inimicus Christi existens, debet mensam eius accedere, nisi velit eam accedere vt Iudas proditor. Secundò, cùm sit sacramentum vnitatis, charitatis & pacis, nemo potest illud accipere nisi priùs fratri suo reconcilietur, compẽsans iniuriam, restituens famam & damnum, & inimicitiam deponens, remittens omnem offensam, pacemque cum omnibus habens quantum in se est. *Cùm offers munus tuum*, &c. Tertiò, oportet & puro esse corpore, & qui coniugati sunt, saltem vno atque altero die ex mutuo consensu ab amplexibus debent abstinere. Dauid enim ne vmbram quidem huius sacramenti, panes videlicet propositionis, potuisset comedere, nisi prius à cõcubitu abstinuisset. Quartò, placuit Spiritui sancto, vt in os Christiani prius dominicum Corpus intraret, quàm exteri cibi, ideoque

à media nocte nihil debetis ſumere ne quidem nucem myriſticam, vel hauſtum aquæ quando vultis communicare. Seponite etiam negotia veſtra ſæcularia, & honeſtè compoſiti accedite templum, quod ingreſſi, orate vt Spiritus ſanctus vos idoneos & capaces reddat ad ſumendum tantum myſterium. Deinde ſecundum doctrinam Pauli debetis diiudicare ac diſcernere hoc ſacramentum ab aliis cibis, & firmiter credere Chriſtum Dominum eſſe ſub ſpeciebus quas videtis modo inexplicabili & incomprehẽſibili. Deinde quia Chriſtus vos inuitat dicens: *Accipite & comedite.* Et, *Niſi màducaueritis, non habebitis vitam in vobis.* Verbis eius animati, certa cum ſpe menſam eius accedite, non dubitantes, quin accepturi ex ea ſitis affluentiam omnium gratiarum & virtutum. Verùm antequam accedatis, debetis *annunciare mortem Domini* (vt Paulus monet) & in vobis excitare charitatem, *&c.* dolendo de præteritis, & proponendo ei toto corde ſeruire, iuxta promiſſionem in baptiſmo factam. Tunc genuflexi adorantes corpus Domini, complicatis manibus, *&c.* extenſa lingua vſque ad inferius labium, dicentes cum Centurione, *&c.* accipite cum ſumma reuerentia corpus Domini. Quo accepto, agite gratias, offerentes ipſi corpus & animam, & orantes vt ſanet omnes infirmitates veſtras. Cauete autem ne intra mediam horam à ſumpta communione aliquem alium cibum accipiatis, nec expuatis, niſi neceſſitate compulſi, & tunc expuite in mundum linteum, quod cum ſputo lauantes, aquam lotionis in ignem projicite. Denique inſiſtite bonis operibus, date eleemoſynas, meditamini vitam

& pasſionem Chriſti, abſtinentes ab omni intemperantia cibi & potus, ne Deus vos puniat & immittat vobis infirmitates & mortem, vt fecit tempore Pauli, & Romanis tempore Gregorij, ſed benedicat vos & perducat in vitam æternam. Amen.

DE CATECHIZATIONE ET INSTITVTIONE IVVENTVTIS.

Dabit etiam operam Paſtor, vt iuuentus debitè inſtituatur, catechizandi quoque munus per ſe, vel per alium, quando impeditus erit, diebus Dominicis ſemper obibit, idq́ tempore primæ miſſæ, ſi fieri poſſit, puerosq́ data oportunitate ſæpius examinabit ſuper ſequentibus articulis.

Quo pacto ſoleant precari manè ac veſperi, & ſi muniant ſe ſigno crucis.

Si ſumpto cibo gratias Deo agant pro beneficiis acceptis.

Num templum ſæpe, maximè verò feſtis ac dominicis diebus frequentent, & ibi piè ac decenter ſe gerant.

Si Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Dei & Eccleſiæ præcepta probè teneant.

An ad turpiloquium vel indecentes mores ſe aſſueſcant.

Si parentes atque ſuperiores ſibi à Deo præordinatos debito honore venerentur, reuereantur & obſeruent.

Forma litterarum, quibus Paſtor ſignificat D. Officiali proclamatis bannis eſſe factum aut declaratum impedimentum, parteſq́ue mitit ad eum.

Venerabili viro, &c Nouerit V. R. per præſentes, quòd cum ſuper matrimonio cõtrahendo inter N. *parochianum Eccleſiæ parochialis* N. *Diæceſis* N. *ex vno parte, &*

N. parochianam meam ex altera parte, tali die bannum (primum, secundum, vel *tertium) in Ecclesia mea solemniter & vt moris est, proclamassem*, N. *apparuit opponens, affirmans sibi prius fidem datam fuisse à dicta parochiana mea de matrimonio per verba mutuum consensum exprimentia, quare bannis istis & talibus proclamationibus sese opposuit. Ideoq; partes prædictas ac etiam dictum opponentem. propter hoc peremptoriè citaui, & personaliter Audomaropoli*, vel N. *coram vobis ad diem talem procedi, visuros & audituros à vobis quæ fuerint iuris & rationis. Prædictaq;, Domine obseruande, certifico esse vera, sub signo manuali hic apposito*, &c.

Si verò non fuerit opponens, sed ex certo rumore intellexerit parochus aliquod canonicum impedimentum, tunc post illa verba, *vt moris est proclamassem*, scribet hæc, *Intellexi certo rumore spargi inter prædictos desponsos esse canonicum impedimentum, videlicet, consanguinitatis, affinitatis*, &c. *ob quod non possint procedere ad matrimonium contrahendum. Ideoq; eosdem desponsos propter hoc*, &c.

Forma litterarum quibus Curatus Curato scribit nullum impedimentum cōpertum esse proclamatis bannis, petatur ex Synodo Diæcesana, *tit. de matr. cap. 9.*

Forma rescripti ponendi aliquem in possessionem.

EGo N. *presbyter Curatus vel vicarius Ecclesiæ parochalis* N. *diæcesis Audomarensis, certifico omnibus & singulis præsentes litteras inspecturis, per præceptum & ob defectum Domini Decani, posuisse D.* N. *presbyterum in possessionem realem, actualem, spiritualem & personalem Eccle-*

siæ parochialis N. *in albo nominatum, & hoc vt moris est, per tactum altaris, calicis, & libri, necnon per pulsationem campanæ.* **In** *quorum fidem ego*, &c.

INSTRVCTIO PASTORVM DE TESTAMENTIS.

Q*Vando Pastor requiretur ad excipiendum testamentum ægroti, imprimis consideret an ægrotus sit sanæ mentis, ne qua fraus fiat; & nisi certo constiterit, abstineat.*

Similiter, si testator velit aliquid in testamento fieri in præiudicium & fraudem suarum prolium aut hæredum, vnde postea exorituræ sint lites & dissidia, ne facilè se immisceat ne videatur seminasse lites & discordias; in omnibus autem se gerat tanquam coram Deo, nec fraudem faciens, nec fraudem fieri permittens.

Caueat etiam ne suum negotium egisse videatur, suadens ægroto sibi vel suæ Ecclesiæ plura dare quàm ipse sua sponte daturus fuisset.

Conscriptum testamentum legat coram testatore & testibus, curetq́; ab eis etiam subsignari.

D*et quoque operam, vt cùm testator condit testamentum suum sit in bono statu, & pro maiore certitudine quando maximè existimabit eum esse in gratia Dei, tunc curet ab eo testamentum denuo confirmari ac offerri Deo.*

Si testamentum antè factum velit manere ratum, sed aliqua in eo immutari vel addi, vt de debitis soluendis, &c. *tunc scribet codicillum notans eum confirmasse suum testamentum quod antè coram tali condiderat, tamen hæc voluisse immutare vel addere.*

Forma verò communis conficiendorum testamentorum hæc est.

IN nomine Domini, Amen. Vniuersis præsentes literas inspecturis N. Curatus (vel Vicarius) Ecclesiæ parochialis N diæcesis Audomarensis salutem in Domino. Notum facimus, quòd in nostra testiumque infrascriptorum præsentia, personaliter constitutus honestus vir N. parochianus noster hîc inseratur nomen, qualitas, seu conditio testatoris, vnà cum loco domicilij) iacens in lecto ægritudinis, infirmus corpore, sanus tamen mente, attendens & considerans quoniam vita hominis breuis est super terram, quodque nihil est certius morte, nihil verò incertius hora eius, cupiens prouidere saluti animæ suæ, & ad gaudia fælicitatis æternæ peruenire, testamentum suum ac vltimam suam voluntatem condidit, & tenore præsentium condit forma & modo quibus sequitur, volens effectū sortiri, & testamenti robur habere, etiamsi aliqua iuris solemnitas in eo prætermissa fuerit. Imprimis autem commendauit animam suam quando ex huius corporis ergastulo emigrauit, Deo Opt. Max. Beatæ Mariæ Virgini, totique curiæ cęlesti; corpus autem suum ecclesiasticæ sepulturæ, volens illud inhumari tali loco N. in Ecclesia N. apud suos parentes & amicos suos, petens pro animæ suę refrigerio exequias & officia diuina celebrari, pro status & conditionis suę exigentia. Deinde voluit & ordinauit omnia sua debita solui. Item legauit, &c. hîc Curatus inseret singula capita & articulos testamenti prout ipse testator dictare voluerit, & ordinare Et ad præmissa omnia & sin-

gula exequenda, dictus testator nominauit suos executores N. & N. nominandi sunt executores) dans iis & cuilibet eorum in solidum omnimodam & plenariam potestatem supradictam suam vltimam voluntatem exequendi, suaque debita & credita soluendi & exigendi, necnon præfata legata personis & locis prędictis soluendi, & si necesse fuerit, vnum vel plures suo loco substituendi, assignans singulis iisdem executoribus summam N. florenorum loco honorarij & mercedis. Obligans ad executionem omnium & singulorum prędictorum omnia & singula sua bona mobilia & immobilia, præsentia & futura. In cuius rei testimonium, ego N præfatus curatus, signum meum manuale apposui. Acta sunt hæc in ædibus dicti testatoris, anno Domini, *&c.* Pontificatus sanctiss. domini nostri N. anno N. indictione N. die verò N. mensis, *&c.* præsentibus ibidem N. & N. testibus ad præmissa vocatis & specialiter rogatis. Et signent testator, Curatus, & testes dictum testamentum suis manualibus signis, si id possint & sciant.

Ordo ad suscipiendum Episcopum in primo suo ingressu, vel ad visitandam Ecclesiam, desumptus ex Pontificali Romano.

P*Rocessio Cleri ex more loci ordinata cum cruce procedit illi obuiam cum magistratu, vel si in loco magistratus non sit, cum notabilibus & præcipuis parochianis, & Sacerdos primam dignitatem habens eiusdem loci, vel si non sit alia dignitas, Pastor indutus amictu, [stola], pluuiali, offert venien-*

ti Epi-

ti Episcopo crucem osculandam, quam Episcopus super tapetem stratum genuflexus osculatur.

Tunc procedendo ad Ecclesiam, cantatur Respon. Ecce sacerdos. &c. cum Vers. Benedictionem omnium gentium dedit illi, &c.

Et cum ventum fuerit ad Ecclesiam, in porta principali, præcipuus totius cleri indutus pluuiali, offert illi aspersorium cum aqua benedicta, quod Episcopus accipiens aspergit primò seipsum, deinde alios.

Deinde offert ei nauiculam in qua est incensum, aliquo Sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente. Et Episcopus incensum à se benedictum imponit thuribulo, quod accipiens ille idem qui est primus Ecclesiæ, incensat Episcopum.

Deinde procedunt ad altare maius Ecclesiæ, & ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato, procumbit & orat Episcopus. Interim verò primus Ecclesiæ, siue is sit pastor vel alius, stans in cornu Epistolæ versus ad orantem Episcopum dicit sequentes versus.

Versus. Protector noster aspice Deus. Resp. Et respice in faciem Christi tui. Vers. Saluum fac seruum tuum Domine. Resp. Deus meus sperantẽ in te. Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eum. Vers. Nihil proficiat inimicus in eo. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum N. quem Ecclesię tuæ pręesse voluisti, propitius respice, da ei quæsumus verbo & exemplo qui-

bus præeſt proficere, vt ad vitam vnà cum grege ſibi credito perueniat ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Si verò Epiſcopus ſit in viſitatione dicitur ſequens collecta. Oremus.

DEus humilium viſitator, qui eos paterna dilectione conſolaris, protende ſocietati noſtræ gratiam tuam, vt per eos in quibus habitas, tuum in nobis ſentiamus aduentum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

His dictis, cantores cantant aliquam antiphonam eis magis placentem, de ſancto patrono eccleſiæ, cum verſiculo de eodem ſancto. Et cum dicitur verſiculus, ſurgens Epiſcopus, aſcendit ad altare, oſculaturque illud in medio, deinde procedit ad cornu Epiſtolæ, vbi ſtans ad ipſum altare verſus, cantat orationem de dicto ſancto, deinde ad medium altaris reuertitur, vbi ſtans dat benedictionem ſolemnem dicens. Sit nomen Domini benedictum, &c. Qua data facit promulgari per vnum ex ſuis, ſiue ex beneficiatis Eccleſiæ Indulgentias quas ipſe præſentibus concedit.

Benedictio generalis cuiuſlibet rei.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp Qui fecit cælum & terram. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, cuius verbo ſanctificantur omnia, quæ vel facimus vel percipimus, effunde quæſumus be-

nedictionem tuam ſuper nos & ſuper hanc tuam creaturam, vt per inuocationem ſancti tui nominis quæcunque pręſentis vitæ neceſſitas piè poſtulat, miſericorditer cum gratiarũ actione aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Benedictio mulieris prægnantis, vbi aut matris aut infantis vita periclitatur.

Verſus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cælum & terram. Verſ. Saluam fac ancillam tuam. Reſp. Deus meus ſperantem in te. Verſ. Eſto illi Domine turris fortitudinis. Reſp. A facie inimici. Verſ. Nihil proficiat inimicus in ea. Reſp Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Verſ. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. Reſp. Et de Sion tuere eam. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei ęternę Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtis adorare vnitatem: quęſumus vt eiuſdem fidei firmitate, hęc famula tua ab omnibus ſemper muniatur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium, &c.

Oremus.

DOmine Deus omnium creator, fortis & terribilis, iuſtus & miſericors, qui ſolus bonus & pius es, qui de omni malo liberas Iſrael, qui electos patres munere Spiritus tui ſanctificaſti, qui glorioſæ virginis

matris

matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti, qui Ioannem Baptiſtam Spiritu ſancto repleri, & in vtero matris exultare feciſti, accipe ſacrificium cordis contriti, ac feruens deſiderium famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis pro conſeruatione prolis debilis, quam ei dediſti concipere, & custodi partem tuam, & defende ab omni dolo, & iniuria diri hoſtis, vt obſtetricante manu miſericordiæ tuæ, fętus eius ad hanc lucem veniat incolumis, ac ſanctæ regenerationi ſeruetur, tibique in omnibus iugiter deſeruiat, & vitam conſequi mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. &c.

Poſtea aſpergatur aqua benedicta, dicẽdo Pſalmum 66. Deus miſereatur noſtri, &c. Verſ. Benedicamus Patrem & Filium cũ ſancto Spiritu. Reſp. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Verſ. Angelis ſuis Deus mandauit de te. Reſp. Vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea & à pręſenti familia tua longè repelle, & angeli tui ſancti habitent cum ea, qui eam & fętum eius ab omni aduerſitate & mortis periculo tua benedi✠ctione cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper eam ſemper, ſalua eos omnipotens Deus, & lucem tuam eis concede perpetuam. Per Dominum noſtrum, &c. Reſp Amen.

Benedictio Dei Pa✠tris & Fi✠lij & Spiritus ✠ ſan-

cti descendat super te, & fętum tuum, & maneat semper: Resp. Amen.

Benedictio mulieris post partum in domo.

SAcerdos, quando requiritur ad faciendam hanc benedictionem, debet declarare, hanc non esse cæremoniam purificationis, sed adhiberi ad impetrandam consolationem & sanitatem mulieri, siq; conualescat, vbi primùm egredi poterit, debere accedere ecclesiam & purificari.

Hanc ergo facturus Sacerdos, induetur superpelliceo & stola, ingrediensq́ue dicet, Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. Deinde ad mulierem.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram Psalm. 112. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, &c.

Psal. 127. Beati omnes qui timent Dominum. &c.

Psalmus 66. Deus misereatur nostri & benedicat, &c.

Gloria Patri, &c. in fine cuiusque psalmi. Deinde dicat Sacerdos Kyrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison. Pater noster.

Astantes moneantur ad orandum pro muliere. Oratione finita dicat Sacerdos. Vers. Et ne nos inducas in tẽtationem Resp Sed libera nos à malo. Vers. Saluam fac ancillam tuam. Resp. Deus meus sperantem in te. Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eam. Vers. Esto ei domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte, pater omnipotens, æterne Deus qui benedictionis tuæ gratiam, ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad inuocationem tui nominis sancti benignus assiste, vt hanc famulam tuam dextra tuæ virtutis tuearis, potestate confirmes, signaculo sanctæ ✠ crucis benedicas, atque tuæ ecclesiæ & sanctis altaribus eam feliciter restituas. Per Christum. &c. Oremus.

COncede famulam tuam, quæsumus Domine perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosæ beatæ Mariæ virginis intercessione a præsenti liberari tristitia & æterna perfrui lætitia. Per Dominum nostrum. &c. Resp. Amen

Et tunc aspergatur aqua benedicta, & adiungatur pro oportunitate, consolatio.

Si contigerit mulierem reualescere, in prima ipsius in ecclesiam introductione, adhibeantur preces suprà in prima parte de mulieribus post partũ in ecclesiam introducendis conscriptę pag. 50.

Benedictio mulieris pro fuganda sterilitate.

Quia coniuges sępius se affligunt dum ex matrimonio nulla proles sequitur variasque artes & quandoque media quęrunt superstitiosa ad eam obtinendam, vt in solo Domino confidant & ad eum confugiant sequens benedictio hîc ponitur ex Sacerdotali Romano desumpta.

MVlier sterilis & infecunda veniens ad ecclesiam accedat ad sacerdotem habentem superpelli-

cum & stolam: & se eius orationibus commendet, qui faciat orationem super eam in hunc modum.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Vers. Adiutorium nostrum in nomine Dñi. ℟. Qui fecit cęlum & terram. Psal. Beati omnes, totum cum Gloria Patri. Aña. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas filios filiorũ tuorum vsq; in tertiam & quartam generationem. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria. Credo in Deum. Quibus dictis Sacerdos subiungat. Et ne nos inducas in tentationem. Resp Sed libera nos a malo. Vers. Saluam fac ancillam tuam. Resp. Deus meus sperãtem in te. Vers Sint filij tui sicut nouellæ oliuarum. Resp In circuitu mensæ tuę. Vers Domine exaudi orationem meam. Resp Et clamor meus ad te veniat. Vers Dñs vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus qui emortuam vuluam Saræ, ita per Abrahæ semen fæcundare dignatus es: vt ei contra spem sobolis filius nasceretur, præsta famulę tuę N. pro sua sterilitate deprecanti: vt mœrorẽ infecunditatis ab ea submoueas: & ad concipiendam sobolem ei fæcunditatem tribuas: & filium quem donaueris clemẽter benedicas. Per Dominum nostrum. &c. Oremus.

MAiestatis tuæ clementiã Deus pater omnipotẽs suppliciter exoramus: vt preces nostras pro sterilitate famulæ tuæ N. benignus assumas, & ei prolem tibi & hominibus gratiosam concedere digneris. Per Christum dominum nostrum. &c. Post hec aspergit eam aqua benedicta: & imponit quod sępe dicat vel dici faciat predictum psalmum. Beati omnes

qui timent dominum. &Pater noster. &Aue Maria. &Credo in Deum: Et quod honestè cum viro suo & pudicè actum matrimonialem exerceat.

Ritum faciendi aquam benedictam, benedictiones agni paschalis, & cuiuscumque rei comestibilis, ac candelarum., Item loci, nouę domus, thalami, ac nouæ nauis, quære in missali Romano sub finem.

DE BENEDICTIONE SIGNI VEL CAMPANÆ, INSTRVCTIO.

SIgnum vel campana debet benedici antequam ponatur in campanili, hoc ordine. In primis debet campana ipsa ita suspendi & situari, vt commodè possit intus & extra tangi, tractari, & circuiri. Deinde prope ipsam campanam benedicendam paratur consecranti faldistorium, vas aquæ benedicendæ, aspersorium, vas cum sale, lintea munda ad extergẽdum campanam, quando opus erit, vas olei sancti infirmorum, sanctum Chrisma, thymiamia, thus, myrrha, & thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & dalmaticam albi coloris. Quibus ordinatis, consecrans in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluuiali albi coloris venit prope campanam, vbi ante omnia vniuersos præsentes circa futurum actum instruat, & moneat: *Imprimis, ne existiment cãpanam baptizari, cùm sit simplex benedictio, sicut enim benedicuntur & vnguntur altaria & templa, qui a diuinis officiis destinantur, ita & cãpana, cuius vsus est in diuino officio ad populum conuocandum, sicut olim*

in veteri lege conuocabatur per clangorẽ tubarum. Quòd autem lauetur, id fit in reuerentiam sacrorũ oleorum quibus inungitur, & eam etiã ob causam postea cãdido linteo velatur. Quòd alibi ei indatur nomẽ sancti alicuius, id fit ad distinguẽdum vnam campanã ab altera, & populus audiens sonitum campanæ imploret preces illius sancti, cuius nomen est ipsi inditum. Declaret ergo vsum eius esse, vt populus per eius sonitũ conuocetur, quodq́; orat Ecclesia in eius benedictione, vt dum pulsabitur, populus moueatur ad deuotionem, & procul pellantur hostes, fragor grandinũ, procella turbinum, impetusq́; tempestatum & fulgurum, infesta tonitrua, ventorũ flamina suspendantur, spiritus procellarum & aëreæ tempestates prosternantur. Non quòd Deus moueatur externo sonitu, sed quia quando pulsatur, respicit ad preces ab Ecclesia in eius benedictione fusas, sicut fit in aspersione aquæ benedictæ: neque enim potest contemnere preces sponsæ suæ. Et certè quidquid in nomine Dei omnipotentis benedictum est, non potest esse inane. Nam & legimus ad pulsum cytharæ Dauidis spiritum malignum à Saule fugatum, & ad clangorem tubarum circumducta Arca muros Hiericho corruisse. Quare & adeste, non solum corpore, sed & animo, & orate nobiscum.

Deinde sedens super faldistorium ibidem sibi præparatum, dicit cum ministris psalmos sequentes, & in fine cuiusque psalmi Gloria Patri. Sicut erat. &c.

Psal. 50. Miserere mei Deus: secundum. &c.
Psal. 53. Deus in nomine tuo saluum me fac. &c.
Psal. 56. Miserere mei Deus miserere. &c.
Psal. 66. Deus misereatur nostri, & benedicat. &c.
Psal. 69. Deus in adiutorium meum intende. &c.
Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam. &c.

Tunc

Tum ſurgit conſecrans, & ſtans benedicit ſal & aquam dicens.

Exorcizo te creatura ſalis, per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verũ, per Deum ✠ ſanctum, per Deũ qui te per Eliſęum prophetã in aquam mitti iuſſit, vt ſanaretur ſterilitas aquę, vt efficiaris ſal exorcizatũ in ſalutem credentium, & ſis omnibus ſumentibus te ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat à loco in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus, adiuratus per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Deinde conſecrans dicit: Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

IMmenſam clementiam tuam omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti bene✠dicere & ſancti✠ficare tua pietate digneris, vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, vt quidquid ex eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorũ. Amen.

Tunc ſuper aquam abſolutè dicit.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Fi✠lij eius Domini noſtri: & in virtute ſancti ✠ Spiritus, vt fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem poteſtatem

inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis, per virtutem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem Reſp. Amen.

Deinde dicit: Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta, in aquarum ſubſtantia condiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde, vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens, ad abjiciendos dæmones, morboſque pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectum, vt quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt quod aut incolumitati habitantium inuidet aut quieti, aſperſione huius aquę effugiat, vt ſalubritas per inuocationem ſancti tui nominis expetita ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Alia oratio.

BEne ✠ dic Domine hanc aquam benedictione cœleſti, & aſſiſtat ſuper eam virtus Spiritus ſancti, vt cùm hoc vaſculum ad inuitandos filios ſanctæ Ec-

clesiæ præparatum in ea fuerit tinctum, vbicunque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus insidiantium, vmbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum; & cùm clangorem illius audierint filij Christianorum, crescat in eis deuotionis augmentum, vt festinantes ad piæ matris Ecclesię gremium cantent tibi in Ecclesia Sanctorũ canticum nouum, deferẽtes in sono prępconium tubæ, modulationem psalterij, suauitatem organi, exultationem tympani, iucunditatem cymbali? quatenus in templo sancto gloriæ tuæ suis obsequijs, & precibus inuitare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sęculorum Resp. Amen.

Post hęc mittit sal in aquam, in modum crucis, dicendo semel.

Commistio salis, & aquę pariter fiat In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti. • Amen.

Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, inuictę virtutis auctor, & insuperabilis imperij rex, ac semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis sæuitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas, te Domine, trementes, & supplices deprecamur, ac petimus, vt hanc craturam salis, & aquę dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuę rore

sancti-

ſanctifices; vt vbicumque fuerit aſperſa, per inuocationem ſancti tui nominis, omnis infeſtatio immũdi ſpiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur; & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus vbique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiuum tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

His paractis, conſecrans incipit lauare campanam cum dicta aqua; & miniſtri proſequuntur lotionem, lauantes eam totaliter intus, & extra; deinde cum linteo mundo extergunt, conſecrante interim ſedente, & cum aliis miniſtris dicente pſalmos ſequentes: & in fine cuiuſque pſalmi Gloria Patri, &c. Pſal. Lauda anima mea Dominum. Pſal. Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus. Pſal. Lauda Hieruſalem Dñm. Laudate Dominum de cœlis. Pſal. Cantate Domino canticum nouum. Pſal. Laudate Dñm in Sanctis.

Quibus finitis, ſurgit conſecrans, & cum pollice dexterę manus facit ab extra ſupra campanam de Oleo ſancto infirmorum ſignum crucis, quo facto, dicit:

Oremus.

DEus, qui per beatum Moyſen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri præcepiſti, quas dum Leuitæ tempore ſacrificij clangerent, ſonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret præparatus, & ad celebranda ſacrificia conueniret, quarum clangore hortatus ad bellum molimina proſterneret aduerſantium; præſta, quęſumus, vt hoc vaſculum ſanctæ tuæ Eccleſiæ præparatum ſancti ✠ ficetur

à Spiritu ſancto, vt per illius tactum fideles inuitentur ad præmium. Et cùm melodia illius auribus inſonuerit populorum, creſcat in eis deuotio fidei; procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua; ventorum flabra fiant ſalubriter, ac moderatè ſuſpenſa; proſternat aëreas poteſtates dextera tuæ virtutis; vt hoc audientes tintinnabulum contremiſcant, & fugiant ante ſanctæ crucis filij tui in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu, cæleſtium terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quòd ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus abſorpta morte per patibulum crucis regnat in gloria Dei Patris, cum eodem Patre, & Spiritu ſancto, per omnia ſęcula ſęculorum. Reſp. Amen.

Conſecrans, extergit cum linteo mũdo crucem à ſe factam. Deinde inchoat, ſchola proſequẽte, Antiph.



Vox Domini ſuper aquas multas, Deus maieſtatis in-



tonuit ·Dominus ſuper aquas multas. E u o u a e. 6.

Pſalmus. Afferte Domino filij Dei, cum Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona. Interim conſecrans ſtans facit cum pollice dexteræ manus de Oleo ſancto infirmorum ſeptem cruces exterius ſuper campanam, & deintus cum Chriſmate quatuor pari diſtantia, di-

cens,

cens, dum quamlibet crucem facit. Sancti ✠ ficetur, & conse ✠ cretur, Domine, signum istud. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, in honorem sancti N. Pax tibi.


Deinde finitis Aña & Psalmo, ac factis crucibus prædictis, Consecrans stans dicit. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus aduersantium cingebatur exercitus, cadere fecisti, tu hoc tintinnabulum cælesti bene ✠ dictione perfunde; vt ante sonitum eius longiùs effugētur ignita iacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum; vt ad interrogationem propheticā, quid est tibi mare quòd fugisti? suis motibus cum Iordanica retroacta fluenta respondeant; A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupē in fontes aquarum. Non ergo nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua; vt cùm præsens vasculum, sicut reliqua altaris vasa, sacro chrismate tangitur, oleo sancto vngitur; quicumque ad sonitum eius cōuenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei Catholicæ documenta sectentur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecū viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sęculorum. Resp. Amen.

Tunc sedet consecrans, & imponit in thuribulo thymiama, thus, & myrrham, si haberi possunt, alioquin quæ ex ipsis habentur: quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur campanæ, seu signo, vt totum fu-

mum recipiat, schola interim cantante Antiphonam.





Psalm. Viderunt te aquæ Deus. Ex psalmo 79. qui incipit, Voce mea ad Dominum clamaui. vsque ad finem. Deinde repetitur Aña.

Quibus dictis, surgit consecrans, & dicit. Oremus.

OMnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in naui, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato, & imperante, dissiluit, tu necessitatibus populi tui benignus succurre? tu hoc tintinnabulum sancti Spiritus rore perfunde; vt ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus; inuitetur ad fidem populus Christianus; hostilis terreatur exercitus; confortetur in Domino per illud populus tuus conuocatus: ac sicut Dauidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus sanctus; atque vt Samuele agnum lactantem mactante in holocaustum regis æterni imperij, fragor aurarum turbam repulit aduersantium, ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuę conuentum manus conseruet Angelica, fruges credentium, mentes & corpora saluet protectio sempiterna. Per te Christe Iesu, qui cum Deo Patre viuis, & regnas in vnitate eiusdem Spiritus sancti, &c. Resp. Amen.

Demum

Demum Diaconus ſacris veſtibus albi coloris paratus, dicit. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Reſp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum & mulier quędam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria, quę etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quę ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Finito Euangelio, conſecrans oſculculatur librum Euangeliorum per vnum ex miniſtris ſibi porectum. Tum producit ſuper campanam benedictam ſignum crucis, & diſcedens reuertitur ad locum, vbi paramenta accepit, in quo, dimiſsis ſacris veſtibus, vadit in pace.

De ſeparatione læproſi à ſanis.

VBi aliquis fuerit lępræ condemnatus, Decanus Chriſtianitatis vel Parochus ei declarabit diuinam hanc eſſe & Eccleſiaſticam conſtitutionem, vt contagioſo hoc malo correpti à conuictu, commercio, ac aliis humanæ ſocietatis conuentibus debeant abſtinere, ne afflatu, affricatione, vel attactu ſanos contaminent atque inficiant. Sed quamquam corpore

ſepa-

ſeparandi ſint, ſpiritu tamen manſuros in eadem eccleſiaſticæ vnitatis compage & commnnione ſanctorum omniumq; fidelium, participeſq; futuros omnium eorum quæ in Eccleſia peraguntur. Tantum opus eſſe, vt viſitationem Domini patienter ferant, fideq; per charitatem operante Deo ſeruiant, humanitatis officia ac neceſſaria eis nō defutura, ſacramenta quoque Eccleſiæ vbi ea petierint, ipſis fore parata. Atque ita cum ciuili magiſtratu eis de loco in quo ſeparatim habitēt, pro loci cōſuetudine prouidebit, poteritq; pro eorū conſolatione celebrare miſſam de Spiritu ſancto vel pro infirmis, adiecta collecta de patientia, prout habetur in Miſſali.

TRACTATVS DE EXORCIZATIONE,
Et primò, de perſona Exorciſtę, qualis eſſe debeat.

IMprimis laico id officij non conuenit, cùm enim ſpiritus ſuperet natura hominem, nō poteſt cum maligno ſpiritu congredi niſi armatus poteſtate diuina, quæ per ordinem exorciſtatus confertur, ac proinde ab hoc exercitio arcendi ſunt laici, idq; eo magis ſi ſint improbæ vitæ.

Deinde debet Exorciſta fide eſſe præditus, alienus ab omni hæreſi, errore & ſuperſtitione, firmiter credens Chriſtum poteſtatem omnem dæmonum eneruaſſe, eoſq; ſibi ſubieciſſe per Coloſſ. 2. *virtutem ſuæ paſsionis, vt declarat Paulus,* Expolians (*inquiens*) poteſtates & principatus traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo. *Item poteſtatem dediſſe ad illos ejiciendos mimiſtris. iuxta illud Lucæ.* Luc. 10. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpētes & ſcorpiones. *Chriſti autem omnipotentiæ neminem poſſe reſiſtere. Hac itaque fide armatus, indubitanter procedat contra caco-*

dæmones

dæmones, prout monet Paulus, In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. *In mente etiam habens verba Chriſti*, Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dęmonia ejicient. Epheſ. 6. Marci. 16.

Tertiò ex fide prædicta promiſsionum Chriſti, debet concipere firmam fiduciam, conſiderando ſe agere in virtute omnipotentis Chriſti, & ſe per ordinem exorciſtatus accepiſſe poteſtatem & imperium coercendi nequitiam immundorum ſpirituum, & conſtitutum eſſe velut ſpiritualem imperatorem ad abjiciendos dæmones de corporibus obſeſsis, vt eſt manifeſtum ex orationibus Pontificalis, quas Epiſcopus in collatione ordinis exorciſtatus pronuntiat.

Quartò, neceſſe eſt vt ſit humilis, ſibiq́ nihil tribuat, ſed ſoli Deo ac Chriſto totum hoc opus adſcribat, dicẽs infirmo & vexatis, vt omne auxilium à diuina maieſtate expectent, à ſe verò non niſi exiguum miniſterium quod ipſum ex gratia Dei habet. Et hinc conſequens eſt, quòd petere debeat aliorum orationes, & ſuis exorciſmis præmittere inuocationem Spiritus ſancti.

Quinto, abſtineat ab omni cupiditate & auaritia, non ſpectans vllum lucrum aut quæſtum, ſed præ oculis habeat honorem & gloriam Dei ac charitatem proximi, vt eius neceſsitati ſubueniat. Si tamen egeat, poteſt accipere id quod libere offertur per modum eleemoſynæ. Dixit enim Chriſtus, Gratis accepiſtis, gratis date, *&c.* Infirmos curate, *&c.* Dæmones ejicite, *&c. atque ita pecunias expectando, perdet tantæ gratiæ donum.* Math. 10

Sextò, vt habeat bonam intentionem, vt nimirum moueat eum amor & honor Dei, & charitas proximi, vt iam dictum

eſt,

est, & vt ad subleuandam alterius necessitatem ex officio ad id requisitus procedat.

Denique, vt sit bonæ vitæ, nam Paulus vult nos stare in veritate & indui iustitia, vt possimus resistere rectoribus tenebrarum. Ac proinde opus est, vt cum sollicitudine ac timore Dei, contritus ac confessus hoc opus aggrediatur, quamuis interim gratia & potestas Exorcistæ sit gratia gratis data, nec fundetur super pietate ministri, sed super ordinatione & voluntate Christi sic instituentis, & per Spiritus sancti præsentiam suam ordinationem confirmantis. Coniungendum est etiam cum oratione ieiunium, Christus enim Dominus cum
Matth. 4. *diabolo pugnaturus ieiunauit, dixitq́; suis discipulis:* Hoc ge-
Matth. 17 nus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio. *Quare qui dæmonem expellere conatur ab homine obsesso, debet se præparare triduano ieiunio, ac tertio die facere Missam de Spiritu sancto, adiunctis infrascriptis orationibus*

Collecta.

DEus qui per vnigenitum tuum, exclusa dominatione diaboli populum tuum fidelem aptasti, expelle quæsumus à famulo tuo N [famula tua N] cunctas diabolicę illusionis insidias, & eum [eam] illibatum [illibatam] ab omni impugnatione conserua. Per eumdem Dominum, nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Secreta.

MVnus Domine humilitatis nostræ pro petitione famuli tui N. [famulæ tuæ N.] oblatum petimus vt gratanter assumas, & ab eius oppresione hostis maligni insidias omnemq́; potestatem benignus excludas. Per Dominum nostrum, Iesum Christum filium tuum, &c.

Postcom-

Postcommunio.

CÆlestis panis, quem sumpsimus Domine & nobis indulgentiam tribuat & famulum tuum N. (famulam tuam N.) ab antiqui hostis irrisione defendat. Per Dominum nostrum &c.

Quicunq; etiam vult alicui maleficiato aut vexato à demone per exorcismos subuenire oportet vt ieiunio ac oratione se præparet.

Quomodo se habere debeat is qui subsidium postulat ab exorcista.

IMprimis inquirendum an superstitioni aut hæresi alicui sit obnoxius & debitè in fide instituendus.

Similiter si planè rudis sit, instituendus est in fidei rudimentis, eiq; persuadendum vt firmiter doctrinæ & traditionibus Ecclesiæ se subjiciat.

Deinde, (vt est in cap. Si per sortiarias.33. *quæst.) Vexati à dæmone debent corde contrito & humiliato Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem facere & profusis lachrymis & largioribus eleemosynis Domino satisfacere. Item totam suam familiam secum ad veram pænitentiam & sumptionē Eucharistiæ hortari, aliorumq; orationes efflagitare, vt aut liberentur à vexatione cacodæmonis, aut cum Iobo patienter ferant ad animæ suæ salutem & confusionem diaboli. Is autem qui obsessus est, si fieri poßit, debet facere totius vitæ suæ generalem confeßionem.*

Oportet quoque vt obseßi & omnes qui vexantur à maligno spiritu, vel in se vel in rebus suis, sæpius recitent orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, signentq; se in

fronte & in pectore signo sanctæ crucis, dicantq́;, Abrenuntio tibi Sathana, & adiungor tibi Christe.

Caueant autem huiusmodi vexati, ne mala quæ ipsis accidunt, conjiciant in vicinos suos, vel in hos aut alios, sed sibi persuadeant illa sibi euenire permißione diuina propter peccata sua, ac proinde hæc aduersa ferant patienter, faciantq́; de neceßitate virtutem eo modo quo ægroti debent sese habere, & interim confugiant ad remedia à Deo ordinata vt liberentur si ipsis sit salutare, quemadmodum & illi adhibent medicos, vt etiam declaratur in dicto Cap. Si per sortiarias.

Sed & ante omnia abstineant à superstitione per quam cedunt diabolo & ipsum colunt, eique se magis obnoxios reddunt. Verum Iacobus vult nos resistere diabolo & fugiet (inquit) à vobis.

Debet ergo obsessus & alij vexati sæpius renouare propositum, quod velint in fide Ecclesiæ persistere, & quaslibet potius Sathanæ iniurias ferre, quam hosti capitali per desperationem blasphemiam aut alia ratione ad peccandum in Deum consentire.

Quomodo possit cognosci quod quis, sit dæmoniacus vel maleficiatus aut iumenta maleficio vexata. &c.

SVmma hic opus est prudentia, & diligenter inquirendum est de valetudine, conditione fama & circumstantiis eius qui dicitur obsessus, & si fieri poßit, communicanda sunt consilia cum prudentioribus & expertis. Nam sæpe contingit, quòd melancholici, lunatici & morbo naturali impediti existiment se poßideri à cacodæmone, & remedium exorcismorum petunt, cùm potius ab illis accersendus sit medicus. Sic

etiam

etiam interdum veneno infectum est pabulum iumentorum, stabulum corruptum vel peste correpta animalia, cùm putantur maleficio infestari.

Cum autem dæmoniaci habent oculos terribiles & dæmones membra corpusque eorum vexent facilè constat eos a dæmone esse obsessos verum quibus alijs signis cognosci possunt non est satis certum. Sacerdotale tamen Romanum inter alia signa declarat hinc cognosci aliquos dæmoniacos esse, videlicet quòd nolint dicere, Psal. Miserere mei Deus &c. *vel,* Qui habitat in adiutorio altissimi &c. *Aut Euangelium S. Ioannis* In principio erat verbum &c. *Item quando loquuntur lingua extranea quã nunquam didiscerunt, vel cùm sunt illiterati tamen prudenter & literaliter loquuntur, & musicè canunt cum musices ignari sint. Item dicunt aliquid quod ipsi nunquam dicere sciuissent. Item quando eis superueniunt terrores subiti, & citò recedunt. Et certißimum signum eße, quòd dum leguntur exorcismi conturbentur.*

Alij dicunt eos agnosci appensis sacris reliquiis aut agno Dei à summo Pontifice benedicto, ex collo eorum, vel si ipsis insciis potui aut cibo eorum adhibeatur aqua benedicta aut sal consecratum.

Signa autem quibus veniri poßit in notitiam maleficiati, præcipua sunt (secundum Sacerdotale Romanum) constrictio cordis & oris stomachi, quodq́ sentiat puncturas in corde non secus ac si acubus pungeretur, vel quòd videatur ei cor corrodi, vel collum & renes velut à canibus lacerari, quodq́ medicinæ adhibitæ nihil prosint.

Duplex autem est forma coërcendi dæmonem.

Altera quæ fit per preces, quando homines pij conuersi ad



Dominum humiliter supplicant, vt suæ virtutis potentia dæmonem reprimat, ac repellat. Cuiusmodi forma diuo Antonio familiaris erat.

Altera est, quæ fit per imperium, quando fiducia potestatis, quã Christus in Ecclesia reliquit increpatur diabolus, & tanquam victus per Christum, iubetur imperiosè discedere ac locum facere, atque ita exorcista nihil agit nisi per vim & coactionem.

Hæc forma per imperium agendi constat exorcismis & adiurationibus, quibus licitè etiam adhibētur cæremoniæ aliquæ, sed non aliæ nec aliarum rerum quàm quæ in Ecclesia approbatæ sunt. Cuiusmodi sunt impreßio crucis, aqua benedicta, aut candelæ, aqua Gregoriana, thus sacrum, palmæ secundum formam consecratæ, sal consecratum.

Candelarum autem benedictio habetur in Missali.

Incensi verò benedictio hæc est. Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

TVa quæsumus omnipotens sempiterne Deus, immensæ maiestatis dextra hanc creaturam incensi benedi ✠ cere & sanctifi ✠ care digneris, vt in virtute sancti nominis tui omnes immundorum spirituum phantasticos incursus effugare, omnesq; morbos reddita sanitate expellere, vbicunque fumus eius afflauerit, mirabiliter possit atque tibi omnipotēti Deo odorem fragrantissimum perpetua suauitate reddere. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Hoc autem imprimis curandum est, vt cæremoniæ adhibeantur cum grauitate & reuerentia, & præcipuè respiciatur

virtus ac meritum paßionis Christi, & ratio habeatur pænitentiæ & conuersionis ad Deum.

Instructio expellēdi dæmonem è corporibus obsessis.

IMprimis si fieri poßit, exorcizatio facienda est in Ecclesia, quia ibi facilius obtinebitur victoria, & tunc persona obsessa ponitur ante altare coram Sacerdote sacerdotalibus vestibus induto, & ipse stat facie versa ad populum. Si persona infirma sit, tunc potest fieri in domo & exorcista induitur stola & superpelliceo.

Tenet autem sacerdos candelam benedictam accensam in manu, potißimum si in templo fiat

Expediens quoque est vt reliquiæ sanctorum ponantur super cor aut orificum stomachi afflicti hominis.

Obuoluat etiam collum obseßi altera stola, per quam quasi in tutelam eum assumat & sibi iungat, vt in maiorem fiduciam erigatur.

Incipiat autem actionem suam præparatus ieiunio & confeßione sacramentali, à missa de Spiritu sancto, & exorcizet indutus missalibus ormamentis, si coniuratio & exorcismus fiat in ecclesia. Si verò fiat extra Ecclesiam, curet omnino, vt eadem die prius celebret, quia diabolus plus timebit manuum impositionem ac præsentiam eius.

Cum autem dæmon per obsessam personam loquitur, exorcista abstineat à superuacaneis & curiosis interrogationibus & nec in vllo ei fidem adhibeat, nec vlla habeatur eius ratio comminantis vel promittentis, & nec quicquam cum dæmone loquatur vel agat nisi per vim aut coactionem sicut exorcismus postulat.

Ergo celebrata missa, per quam auxilium Dei implorauit

Sacer-

Sacerdos, & se & infirmum eius gratiæ commisit, exclusa turba, quæ tantum spectatum venit, moneat præsentes vt orent pro afflicto, suasq; preces cum ipsius actione coniungãt.

Tunc humili & deuoto aspectu se & adstantes muniat signo crucis alta voce dicendo:

In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti. Amen. Vers. Dñe exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus

OMnipotens Domine verbum Dei patris Christe Iesus Deus & Domine vniuersę creaturę, qui sanctis apostolis tuis dedisti potestatẽ calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cetera mirabilium tuorum opera dignatus es dicere: dæmones effugate, cuius virtute victus tanquam fulgur de cœlo satanas cecidit, tuum nomen cum pauore & tremore supplex deprecor: vt mihi indignissimo data venia peccatorum confidentiam & possibilitatem donare digneris: vt hunc crudelem draconem brachij tui munitus potentia fideliter & securus aggrediar. Qui viuis & regnas cum eodem patre in vnitate. &c.

Hac oratione completa aspergat ęgrotum aqua benedicta in modum crucis dicẽdo. In nomine Pa ✠ tris: & Fi ✠ lij: & Spiritus ✠ sancti. Amen. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat Vers Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens æterne Deus, à cuius facie cæli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremit: cui patent abyssi, quem infernus pauescit: quem om-

nis terrarum motus aſpicit, humiliter te ſupplex deprecor dominator Domine: vt inuocatione nominis tui ab huius famuli tui N. [famulę tuę] vexatione anima liberata ad authorem ſuę ſalutis recurrat: liberatoremque ſuum diabolico depulſo fętore, & odore ſuauiſſimo Spiritus ſancti percepto: ſequatur Dominum noſtr. Ieſum Chriſtum. &c. Oremus.

DEus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus virginum Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti inuoco nomen tuũ ac præclarę maieſtatis tuę clementiam ſupplex expoſco: vt mihi auxilium præſtare digneris aduerſus hunc nequiſſimum ſpiritum. Per eumdem Dñm noſtrum. &c. Exorcizatio.

EXorcizo te omnis immunde ſpiritus, omnis incurſio aduerſarij, omnis ira, omne phãtaſma, omnis legio (*hic ſignet frontem obſeſſi*) In nomine Domini noſtri Ieſu ✠ Chriſti eradicare, & explantare, & effugare ab hoc plaſmate Dei. Ipſe tibi imperat diabole, qui ventis & mari imperauit, & tempeſtatibus; ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit.

Audi ergo maledicte ſathana, audi & time victus & proſtratus, abſcede ✠ in nomine Domini noſtri Ieſu ✠ Chriſti. Tu ergo nequiſſime ſathana, inimice fidei, hoſtis humani generis, mortis adductor, vitę raptor, iuſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium,, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum, malorum magiſter, quid ſtas & reſiſtis, cùm ſcias

Deum

Deum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac est immolatus, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator extitit gloriosus. Recede ergo in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, & da locum Spiritui sancto, & per hoc signum cru ✠ cis (*hic signet frontem obsessi*) Domini nostri Iesu Christi, qui cum eodem Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti viuit & regnat Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus conditor & defensor humani generis, qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum [famulam tuam] N. qui (quæ) dolis inuidi serpentis appetitur, quem [quam] vetus aduersarius, hostis antiquus, tetræ formidinis horrore circumuolat, & sensum humanæ mentis stupore defigit, terrore conturbat & metu trepidi timoris exagitat, Repelle domine virtutem diaboli, fallacesque eius insidias amoue; procul impius tentator aufugiat. Sit nominis tui signo crucis ✠ (in frõte) famulus tuus munitus [famula tua munita] & in anima tutus, [tuta] & corpore, (hic ter faciet signum crucis in pectore) Tu pectoris huius ✠ interna custodias, tu viscera ✠ regas, tu corda ✠ confirmes. In anima aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da Domine ad hanc inuocationem, sanctissimi nominis tui gratiam, vt qui hucusque terrebat territus aufugiat & victus abscedat, tibique possit hic famulus tuus, [hæc famula tua] corde & mente præ-

bere

bere famulatum. Per Dominum nostrum. &c. Amen.
Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte pater omnipotens, æterne Deus, osanna in excelsis, pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam, tyrannum & apostatam gehennæ ignibus deputasti, qui vnigenitum tuum in hunc mũdum misisti, vt illum rugientem contereret, velociter attende, accelera vt eripias hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum a ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam quæ exterminat vineam tuam, da fiduciam seruis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperãtes in te, ne dicat sicut in Pharaone iam dixit, Deum non noui & Israel non dimittam. Vrgeat illum Domine dextra tua, potens expellere à famulo tuo [famula tua] N. ne diutius captiuum præsumat tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es & in filio tuo redimisti. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. &c.

ADiuro te serpens antique, per iudicem viuorum & mortuorum, per factorem mũdi, per eum qui habet potestatem mittere te in gehennam, vt ab hoc famulo [hac famula] Dei festinus discedas. Adiuro te interim nõ mea infirmitate, sed virtute Spiritus sancti, vt desistas ab hoc famulo [hac famula] Dei N. quem [quam] Dñs Iesus Christus fecit ad imaginẽ & similitudinem suam: Cede igitur, cede, non mihi, sed ministro Christi, illius enim te vrget potestas, qui te affixus

cruci ſuo ſubiugauit imperio, illius brachium contremiſce, qui deuictis gemitibus inferni, animas iuſtorum ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, ſit tibi formido imago Dei. Ne reſiſtas nec moreris diſcedere ab homine quoniam placuit Deo in homine habitare & ne me infirmiſſimum contemnendum putes dum me peccatorem eſſe cognoſcis imperat tibi Deus, imperat tibi maieſtas Chriſti, imperat tibi Deus pater, imperat tibi Deus filius, imperat tibi Deus Spiritus ſanctus, imperat tibi fides apoſtolorum Petri & Pauli & cæterorum ſanctorum imperat tibi martyrum ſanguis, imperat tibi ſacramentum Cru✠cis, imperat tibi myſteriorum virtus. Exi ergo tranſgreſſor, exi ſeductor, plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice, innocentum perſecutor. Da locum duriſſime, da locum impiiſſime, da locum Chriſto in quo nihil iuueniſti de operibus tuis nefandis, qui te ſpoliauit, qui regnum tuum deſtruxit, qui te victum ligauit & vaſa tua diripuit, qui te proiecit in tenebras, vbi tibi cũ miniſtris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculẽte recogitas? quid temerarie retractas? reus omnipotenti Deo es, cuius ſtatuta tranſgreſſus es, reus es filio eius Ieſu Chriſto Dño noſtro, quẽ tentare auſus es & crucifigere pręſumpſiſti, reus es humano generi, cui tuis perſuaſionibus mortis fructum propinaſti.

Adiuro te ergo draco nequiſſime in nomine agni immaculati, qui ambulauit ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcauit leonem & draconem vt diſcedas ✠ ab homine diſcedas ab eccleſia ✠ Dei (*hic producit ſignum crucis ſuper circumſtantes*) contremiſ-

ce &

ce & effuge inuocato nomine Domini quem inferni tremunt, cui virtutes cælorum potestates & dominationes subiectę sunt, quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, imperat tibi natus ex virgine, imperat tibi Iesu Nazarenus, qui te, cùm discipulos eius contemneres, elisum atque prostratum exire iussit ab homine, quo pręsente cùm te ab homine separasset nec porcorum gregem cõtingere præsumebas. Recede ergo nunc adiuratus in nomine ✠ eius (in fronte) ab homine isto quem ipse plasmauit. Durum est tibi Christo velle resistere, durum est tibi contra stumulum calcitrare, qui quanto tardius exis, tanto maius tibi supplicium crescit, quia non homines contemnis, sed illum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sęculum per ignem. Resp. Amen.

Si oppressus nondum fuerit liberatus, prosequitur Sacerdos. Coniuratio.

Adiuro te immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio sathanę in nomine Iesu Christi ✠ Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vinxit, vt quem de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ✠ ergo Deo qui te humiliato famulo suo Iob in seruitutem redegit. Cede ✠ Deo qui te per Danielem puerum suum perdidit & draconem prostrauit. Cede ✠ Deo qui te per fidelissimum seruum suum Dauid de Rege Saule, spiritualibus canticis pul-

ſum fugauit. Cede ✠ Deo, qui te & malitiam tuam in Pharaone & eius exercitu per Moyſen ſeruũ ſuum in abyſſum demerſit. Cede ✠ Deo qui te in Iuda Iſchariot proditore damnauit. Ille enim te diuinis verberibus angit; in cuius conſpectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixiſti. Quid nobis & tibi fili Dauid? veniſti ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis vrgeat, qui in fine temporum dicturus eſt impiis. Ite maledicti in ignem æternum quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Tibi enim impie & angelis tuis vermes erunt qui nunquam morientur. Tibi & angelis tuis præparatur inextinguibile incendium, quia tu es princeps maledicti homicidij, tu auctor inceſtus, tu ſacrilegiorum caput, tu artium peſſimarum magiſter, tu hæreticorum doctor, tu totius obſcuritatis inuentor. Exi ergo impie, exi ſcelerate, exi cum omni fallacia tua quia hominẽ templum ✠ (in fronte) ſuum voluit eſſe Deus. Sed quid diutius moraris hîc? Da honorem Deo Patri ✠ omnipotenti, cui omne genu flectitur, da locum Domino Ieſu ✠ Chriſto, qui pro homine ſanguinem ſuum ſacratiſſimum fudit. Da locum Spiritui ✠ ſancto, qui per beatum Apoſtolum ſuum Petrum te manifeſtè ſtrauit in Simone Mago, qui fallaciam tuam in Ananiam & Saphiram cõdemnauit, qui te in Herode rege honorem Deo non dante percuſſit, qui te in Barieu mago per Apoſtolum ſuum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eumdem de Phitoniſſa verbo imperans exire pręcepit. Diſcede ergo nunc, diſcede ſeductor. Tibi eremus ſedes eſt, tibi habitatio ſerpens eſt, humiliare

& prosternere, iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos suos. Si enim hominē fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te ejicit, cuius oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt, Ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam, de cuius ore exiet gladius bis acutus. Qui vēturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem. Resp. Amen.

Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, te suppliciter deprecamur, vt imperes diabolo, qui hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] N. detinet, vt ab eo [ea] discedat, & libera eum [eam] qui [quę] credit in verum liberatorem Dominum nostrum Iesum Christum, vt purgatus [purgata] ab omni labe iniquitatis, maiestati tuæ pura mente deseruiat. Per eumdem, &c.

His expletis, si spiritus immundus non recesserit, reincipiendum est ab illo loco suprà in hoc exorcismo pag. 44. vbi sic habetur: Omnipotens æterne Deus, à cuius facie, &c. & ordine prædicto prosequendum vsque ad finem.

Altera forma exorcismorum, ab liberandos eosdem.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Sit nomen

Domini

Domini benedictum. Resp Ex hoc nunc & vsque in sæculum. Vers Ecce cru✠cem domini fugite partes aduersæ. Resp Vicit leo de tribu Iuda. Vers. Deum qui te genuit dereliquisti. Resp. Et oblitus es Domini creatoris tui. Psal. 67. Exurgat Deus, &c. Psa. 10. In Domino confido, &c. Psa. 69. Deus in adiutoriũ, &c. Psal. 34. Iudica Domine, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Saluum [saluam] fac seruũ tuum [ancillam tuam]. Resp. Deus meus sperantem in te. Vers. Nihil proficiat inimicus in eo [ea]. Resp Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eum [eam]. Vers. Esto ei Domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Vers. Nihil proficiat inimicus in nobis. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOminus noster Iesus Christus Dei & virginis filius, qui in hunc mundum apparuit vt opera diaboli dissolueret & dissiparet & discipulis suis quos mittebat in vniuersum mundum ad prædicandum euangelium omni creaturæ potestatem dedit super omnia dæmonia, & vt languores curarent per inuocationem sui sanctissimi nominis & per impositionem manuum, ipse per suam misericordiam & pietatem & per merita & preces beatissimæ virginis Mariæ matris suæ & omnium sanctorum & sanctarum Dei, dignetur dissoluere à te omne opus diaboli, vt de cæ-

tero

tero non dominetur tibi inimicus, neque maledictus ſatanas, creatura damnata & reprobata & maledicta à Deo in æternũ propter ſuam nequitiam audeat vexare corpus tuum, aut animam tuam, non perturbare ſenſus tuos interiores vel exteriores, nec illudere tibi aliqua illuſione vel perſecutione phantaſtica, ſed plenè liberatus [liberata] a poteſtate ſatanæ cum bono ſenſu & ſapientia, cum ſanitate mentis & corporis ſcias teipſum [teipſam] gubernare irreprehenſibiliter per bona opera in laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti & beatiſſimæ virginis Mariæ matris eius, & ſaluationem animæ tuæ & conſolationem tui & tuorum. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti. Reſp. Amen.

Deinde dicat euangelia quæ ſequuntur ſignans in principio librum, deinde frontem, os & pectus ſuum, ac poſtremo frontem energumeni, cuilibet euangelio præponens. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Verſ. Initum ſancti euangelij ſecundum Ioannem. Reſp. Gloria tibi Domine.

In principio erat verbum, &c. legatur vſque ad finem

Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

Reſp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid & nomen virginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eam dixit Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata

est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria ad angelum. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Euãgelij secundum Marcum. ℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tẽpore. Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus; & exprobrauit incredulitatẽ eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, nõ crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpẽtes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et

Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. In nomine Pa ✠ tris & Fi ✠ lij & Spiritus ✠ sancti. Amen. Christus ✠ vincit, Christus ✠ regnat, Christus ✠ imperat.

Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

Resp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Reuersi sunt septuaginta duo discipuli cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait, Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis. Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

Ergo maledicte diabole, creatura damnata & reprobata, & in æternum à Deo maledicta propter nequitiam tuam, spiritus immunde vbicunque latitas in corpore istius N. recognosce sententiam tuam, & cognosce sententiam iustissimæ damnationis nequitiæ tuæ. Et licet inuitus & coactus contra nequissimam & iniustissimam voluntatem, da honorem Iesu Christo, Filio Dei, Domino & salutari nostro, & da honorem Spiritui sancto, & recede ab hoc famulo [hac famula] N. Dei, & nunquam de cetero ad ipsum [ipsam] accedas, quia istum [istam] sibi Deus & Dominus noster

Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque baptismatis vocare dignatus est, & hoc signum sanctæ ✠ crucis quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole damnate atque damnande spiritus immũde nunquam audeas violare, Per nomen & virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare, &c.

Audi maledicte Satana, audi creatura damnata & reprobata, ac in æternum maledicta propter tuam nequitiam, audi spiritus immunde vbicumque in corpore istius latitas, adiuratus per nomen æterni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, cum tua victus inuidia tremens gemensque discede, nihil tibi commune sit cum isto famulo (ista ancilla) Dei, da igitur honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa cæli arce descendens perturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum & habitaculum perfecit, & ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum in baptismate liberauit, vt sic perenni Deo gratias referat semper, & benedicat nomen eius sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcizo, adiuro, & anathematizo te immunde spiritus, creatura damnata & reprobata, & in æternum à Deo maledicta propter nequitiam tuam, spiritus immunde vbicunque latitas in corpore istius N. in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, & in nomine Iesu ✠ Christi filij eius Domini & saluatoris nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti, vt exeas & recedas ab hoc famulo [famula] Dei N. & nũquam de cetero ad ipsum [ipsam] accedas. Ipse enim tibi imperat damnate atq;

damnande, qui pedibus ſuis ſuper mare ambulauit, & Petro mergenti dextrā porrexit, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Sacerdos tenens manum ſuper caput energumeni, dicat: Nec te lateat ſatana, nec te lateat creatura damnata, reprobata, & in æternum maledicta à Deo propter nequitiam tuam, nec te lateat ſpiritus immunde, vbicunque latitas in corpore iſtius N. imminere tibi diem iudicij, diem ſupplicij ſempiterni, diem qui venturus eſt tanquam clibanus ardens, in quo tibi & vniuerſis angelis tuis apoſtaticis præparatus eſt ignis ęterni cruciatus. Et ideo pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius domino & ſaluatori noſtro, & da honorem Spiritui ſancto, in cuius nomine & virtute ego præcipio tibi immunde ſpiritus, vbicunque latitas in corpore iſtius N. vt exeas atque recedas ab hoc famulo [hac famula] Dei, & nunquam de cetero ad ipſum [ipſam] accedas, quia iſtū [iſtam] ſibi Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemq́ue baptiſmatis dono ſuæ gratiæ vocare dignatus eſt, vt fieret eius templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum, per nomen & virtutem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Tu ergo effugias creatura damnata & damnanda, maledicta ac reprobata à Deo in æternum propter tuam nequitiam, immunde ſpiritus, vbicunq; latitas in cor-

pore iſtius N. ab hac creatura Dei, & nunquam de cetero ad ipſum accedas, quia appropinquabit breui cõtra te Dei iudicium. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, qui voluiſti pro mundi redemptione de virgine naſci, in carne tua ſanctiſſima circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda proditore oſculo tradi, vinculis alligari, & ſicut agnus innocens ad victimam duci, atq; in conſpectu Annæ & Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falſis teſtibus accuſari, à diſcipulo negari, flagellis opprobriiſque vexari, ſpinis coronari, ſputis conſpui, colaphis cędi, palmis percuti, arundine verberari, clauorum aculeis perforari, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, ab hominibus blaſphemari, in cruce mori, & lancea vulnerari. Tu Domine per has ſacratiſſimas pænas & paſſiones tuas (quas ego indignus recolo) & per ſanctam crucem & mortem tuam liberare digneris hanc creaturam tuam N. à miſerabili oppreſſione ſathanæ & miniſtrorum eius, & perducere eam digneris ad priſtinam ſanitatem fracto vinculo inimici cuiuſcunque generis maligni. Qui venturus es, &c.

Poſtea Sacerdos accepta cruce dicat: Ecce lignum ſanctiſſimæ crucis, fugite partes aduerſæ, vicit enim vos & mundum Dominus Ieſus Chriſtus, filius Dei, Imperator ſummus, leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Crucem det energumeno oſculandam dicens cum eo ſimul. Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Oremus.

SAncta Maria virgo perpetua, mater Dei, templum Domini, ſacrarium Spiritus Sancti, atque omnes Angeli & Archāgeli, Principatus, Poteſtates & Virtutes, & Dominationes, Throni, Cherubin & Seraphin atque omnes ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Doctores, & virgines, necnon vniuerſi Dei electi intercedere dignētur pro iſto [iſta] N. ad Dominum, vt mereatur liberari & plenè cuſtodiri ab omnibus ſpiritibus immundis animæ & corporis vexationibus, ſenſuum perturbationibus, dæmonum terroribus & illuſionibus, etiam in plena ſanitate mentis & corporis eum [eam] conſeruet, per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Ieſus Mariæ filius, ſalus mundi & Dominus, ſit tibi clemens & propitius, & liberet te plenè & cuſtodiat te ſemper ab omnibus ſpiritibus immundis animæ & corporis vexationibus, ſenſuum perturbationibus, ac dæmonum terroribus & illuſionibus, & in bona ſanitate mentis & corporis te conſeruet. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti. Amen.

Si cacodæmon non cedat, non oportet defatigari, ſed ſemper inſtare etiam diuerſis diebus, & vti nunc his nunc illis exorciſmis, variiſque orationibus, humiliter implorando miſericordiam Dei cum magna fide & fiducia, quę ſit tam in patiēte quàm in exorciſta, cogitando de victoria crucis Chriſti, per quam fractæ ſunt omnes vires diaboli & angelorum eius. Et poterit dici Oratio Hoſtium noſtrorum quæſumus Do-

mine elide superbiam, eorumque contumaciam dexteræ tuę virtute prosterne, &c. Item, Veni creator spiritus, &c. cũ collecta Deus qui corda fidelium, &c. Item, Concede nos famulos tuos, &c. Symbolum Apostolorum, & Symbolum Athanasij Quicunque vult saluus esse, &c. Item Oratio ad sanctum, cuius nomine vocatur is qui vexatur, & ad illos quos maiori deuotione colimus. Item possunt prædicta omnia sæpius repeti, & potissimum psal. 67. Exurgat Deus, &c. ac sępius inculcari coniuratio quæ suprà habetur, pag. 49. incipiens Adiuro te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, &c.

Poterit etiam Sacerdos D. Bernardi exemplo missam celebrare, & quoties hostiam signat, toties ad personam obsessam conuersus, illam signare, tum absoluta oratione dominica, patenæ sacrum Christi corpus imponens, & capiti ipsius personæ obsessæ superponens, his verbis dæmonem premere.

ADest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas, iam resiste, si potes. Adest ille qui pro salute nostra passurus, Nunc (inquit) princeps huius mundi ejicietur foras. Hoc illud corpus est quod de corpore virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod vidẽtibus discipulis ascendit in cęlum. In huius ergo maiestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac creatura egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Vel si non celebraret, poterit accipere ciborium vener. Sacramenti manu sua, verbisq; S. Bernardi inimicum premere.

In fine datur benedictio energumeno dicendo: Benedictio Dei Patris omnipotentis & Filij & Spiritus sancti descendat super te & maneat semper.

Obseruandum quoque est, quòd praecedentes exorcismi adhibeantur ad fugãdum dæmonem tam à corporibus obsessis quàm maleficiatis.

Vbi liberatus fuerit dæmoniacus vel maleficiatus, dicenda est oratio super infirmum liberatum.

Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cùm spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulum tuum [hãc famulam tuam] N. ab omni vexatione sathanæ & ministrorum eius, Emitte in eum [eam] septiformem Spiritum sanctum tuum paracletum de cælis. Resp. Amen. Spiritum sapientiæ & intellectus. Resp. Amen. Spiritum consilij & fortitudinis. Resp. Amen. Spiritum scientiæ & pietatis. Resp. Amen. Adimple eum [eam] spiritu timoris tui & signa eum [eam] signo crucis ✠ Christi, in vitam propitiatus æternam. Resp. Amen.

Postea agendæ sunt gratiæ sanctissimę Trinitati pro liberatione infirmi dicendo: Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

TE Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde, toto ore confitemur, laudamus, atq; benedicimus, tibi gratias agentes, quia virtute tua hodie confusus, turbatus, verberatus, ac deniq; est expulsus diabolus cum sociis suis de hac creatura tua N. quam per Filium tuum vnigenitum redi-

mere dignatus es. Quæso igitur te Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, sancta Trinitas, virtus vna, indiscreta maiestas, Deus noster omnipotens, vt hanc creaturam tuam N. etiam custodire & defendere digneris per sanctos angelos tuos ab omni incursu sathanę & ministrorum eius, & infunde super eam benedictionem tuam sanctam. Per Christum, &c.
Resp. Amen.

EXORCISMVS SEV BENEDICTIO

Pro impeditis in matrimonio a dæmone vel maleficis.

Coniuges, qui se ita impeditos sentiunt, vt opus matrimonij adimplere nequeant, accedent Sacerdotem, facientque sacramentalem confessionem. Deinde Sacerdos superpelliceo ac stola indutus, pro illis precabitur dicens:

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Saluum fac seruum tuum & ancillam tuam. Resp. Deus meus sperantes in te. Vers. Mitte eis domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eos. Vers. Nihil proficiat inimicus in eis. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. Vers. Esto eis Domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Domine Iesu Christe fili Dei & beatę virginis Mariæ vnigenite, qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium & postmodum pro nobis

homo

homo factus, etiam in sacramentum erexisti, ipsum tua præsentia ac miraculorum tuorum primitiis dignanter illustrans, tu per merita, & preces ipsius beatissimæ virginis Mariæ matris tuæ, beati Vincentij confessoris tui, & omnium sanctorum, & sanctarum tuarum digneris hunc famulum tuum, & hanc famulam tuã, quos sancto matrimonio coniunxisti, bene✠dicere, ac plenè liberare ab omni ligamento, fascinamento, & maleficio Sathanæ, & dare eis fęcunditatem, & gratiam vt liberè vti possint matrimonio suo, ad generandum, concipiendum, gestandum, pariendum, & fouendum prolem gratam Deo, & hominibus: In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti. Amen. Mox subiungatur.

Iesus Mariæ Filius, mundi salus, & Dominus, sit vobis clemens & propitius. Resp. Amen.

Deinde tres Psalmi qui sequuntur, cum Gloria Patri. Psal. Domine quid multiplicati. Psal. Qui habitat. Psal. Beati omnes qui timent Dominum. Et post vltimum psalmum dicantur preces sequentes.

Kyrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac seruum tuũ & ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis ℟. A facie inimici ℣. Domine exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe fili Dei viui, qui vterum beatæ virginis Mariæ mirabiliter fæcundasti, vt de Spiritu sancto conciperet, portaret, pareret ac nutriret te verum Deum & hominem, saluatorem nostrum: imploramus clementiam tuam, vt his famulis tuis sublato omnis dæmonis impedimento, & maleficio, fæcunditatem donare digneris, vt generare, concipere, portare, parere, ac nutrire tibi prolem valeant in vitam æternã. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti. Amen.

Et subditur psalmus Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit. &c. cum Gloria Patri. Sicut erat in principio, &c.

Tunc Sacerdos manus imponens super caput, primùm viri, deinde mulieris, dicat adhuc manum tenens super mulierem:

Iesus Mariæ filius, mundi salus, & Dominus, qui beatissimæ virgini Mariæ matri suæ felicem partum tribuit, ipse tibi concedat, vt possis in vtero portare, fouere, & feliciter nutrire prolem Deo & hominibus gratam: In nomine Patris ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. Amen.

Deinde aspergat illos aqua benedicta.

Poterit etiam Sacerdos pro eis celebrare missam de Spiritu sancto, vel de Domina, antequam incipiat has preces.

EXORCISMVS CONTRA IMMInentem tempestatem fulgurum & grandinis.

PEr signum ✠ crucis de inimicis ✠ nostris libera nos ✠ Deus noster, in nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus ✠ sancti. Amen.

Deinde dicitur Symbolum fidei, scilicet Credo in Deum, &c. Deinde Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. Resp. Qui fecit cęlum & terram. Vers. Sit nomen Domini benedictum. Resp. Ex hoc nunc & vsque in sæculum. Vers. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Resp. Et fugiant qui oderunt eum à facie eius. Vers. Exurge Christe adiuua nos. Resp Et libera nos propter nomen tuum. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui fecisti cęlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, quique flumini Iordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, & tuas sanctissimas manus, & brachia sacratissima in cruce ✠ extendisti, quibus aërem sanctificasti: obsecramus immẽsam pietatis & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & post me, & supra me, à dextris & à sinistris, video aërem perturbare, dissoluere & annihilare digneris: vt alligata potestas dæmonum impiè desæuientium, deficiat & turbetur ad laudem tui sanctissimi nominis, & potentissimæ maiestatis tuæ. qui viuis & regnas, &c.

Poſtea conuerſus ad nubes, ſignet eas ſigno crucis, dicens: Circundet te nubes Deus ✠ Pater, circundet te Deus ✠ Filius, circundet te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Deſtruat te Deus ✠ Pater, deſtruat te Deus ✠ Filius, deſtruat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Comprimat te Deus ✠ Pater, comprimat te Deus ✠ Filius, comprimat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Amen.

Obſecratio. Sanctus Mattheus, S. Marcus, S. Lucas, S. Ioannes Euangeliſta, qui Chriſti Euangelium per quatuor mundi partes diuulgarunt, ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto remoueri obtineant & depelli.

Exorciſmus. Et ego peccator & Chriſti Sacerdos, ſeu miniſter, licet indignus, auctoritate & virtute eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſummi Imperatoris, non mea potentia innixus & confiſus, vobis præcipio, immundiſſimi ſpiritus, qui has nubes ſeu nebulas concitatis, in virtute eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu ✠ Chriſti, per ſanctiſſimam eiuſdem incarnationem, per ſanctam natiuitatem, per baptiſmum & ieiunium ipſius, per eius ſacratiſſimam crucem ✠ & paſſionem, per ſanctam reſurrectionem, per admirabilem adſcenſionem, per tremendum aduentum eius ad iudicium, per merita intemeratæ ſemperque virginis Mariæ, & ſanctiſſimi N. & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis ab eis, & eas diſpergatis in locis ſilueſtribus, & incultis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuſcunque rebus, humanis vſi-

bus

bus deputatis. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui vēturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commouetis, de quo de nube lucida dictum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ✠ ipse vobis imperat, qui sua sacratissima cruce, corporis sui sanctissimi in ea extensione, aërem purgauit: ✠ ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque deuicit & ligauit, atque æternæ gehennæ mancipauit ignibus: ✠ ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit à mortuis: ✠ ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus, virtute sua ascendit in cælum: ✠ ipse vobis imperat, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen. Et postea ostendat crucem in aëra, dicens: Ecce lignum sanctissimæ crucis, fugite partes aduersæ; vicit enim vos & mundum Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, Imperator summus, Leo de tribu Iuda, Radix Dauid.

Postea aqua benedicta in modum crucis aspergat per quatuor latera. Dicendę sunt etiam Litanię, si nondum quieuit tēpestas. Psal. Quicunque vult. Aña. Salue regina. & Sub tuum præsidium. Cant. Benedicite omnia cum ℣. Gloria Patri. in quolibet versu dicti Cantici. Deinde ℣. Benedicamus Patrē & Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix ℟. Vt digni, &c. ℣. Exurge Christe adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. Vers. Domine exaudi, &c.

Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem; quęsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis. Oremus.

PRotege Domine famulos tuos subsidiis pacis; & beatæ Marię semper virginis patrocino confidentes, à cunctis hostibus & periculis redde securos.

Oremus.

ADomo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum. Oremus.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus, vt qui iustè pro peccatis affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus. Oremus.

LArgiri & fructus terræ conseruare dignare, Domine Deus noster, vt temporalibus gaudeamus auxiliis, & proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum.

Potest dici etiam Oratio illius Sancti in cuius honore constructa est Ecclesia, & aliorum Sanctorum, in quibus plus de eorum adiutorio confidimus, propter specialem deuotionem nostram. Possunt quoque dici & aliæ deuotæ Orationes, cum compunctione & cordis contritione, implorando semper misericordiam Dei. Et si adhuc tempus tempestuosum permanserit, poterunt supradicta sæpius repeti.

EXORCISMVS DOMVS à dæmonio vexatæ.

SAcerdos indutus superpelliceo & stola, dicit: In nomine ✠ Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti. Amen. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cęlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè perfecteq; ab eis agitur, à te fieri credatur; quęsumus immensam clemētiam tuam vt quod modò visitaturi sumus, visites: & quidquid benedicturi, benedicas ✠: & ad ea quæ acturi sumus, dexteram tuę potentię extendas, sintq́; ad nostrę humilitatis introitum (sanctorum tuorum meritis) fuga dęmonum, & angeli pacis ingressus. Per Christum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, & omnium bene viuentium: Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, te inuoco, & nomen sanctum tuum, ac præclaræ maiestatis tuę clementiam supplex deposco, vt mihi auxilium pręstare digneris, aduersum nequissimum spiritum; vt vbicunque sit, audito nomine tuo velociter exeat & recedat. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen. Coniuratio.

ADiuro te Serpens antique, per iudicem viuorum & mortuorum, per factorem mundi, qui habet potestatem mittere te in gehennam, vt ab hac domo festinus

discedas. Ipse tibi imperat maledicte diabole, qui ventis ac mari, & tempestatibus imperauit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrosum abire præcepit. Audi ergo Satana, & time, & victus & prostratus recede, adiuratus in nomine Domini nostri Iesu Christi: Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen.

Deinde Sacerdos incipiat quindecim Psalmos graduales & prosequatur quinque priores, aqua benedicta aspergendo loca domus. Psal. Ad Dominnū cùm tribularer. Psal. Leuaui oculos meos. Psal. Lætatus sum. Psal. Ad te leuaui oculos meos. Psal. Nisi quia Dominus erat in nobis. Singulos cum Gloria Patri. Quibus finitis, dicit Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos. &c. Resp. Sed libera nos. &c. Vers. Domine exaudi. &c. Resp. Et clamor. &c. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium, perpetuam tibi construe mansionem: præsta vt in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde dicuntur alij quinque Psalmi, etiam aspergendo loca domus. Psal. Qui confidunt. Psal. In conuertendo. Psal. Nisi Dominus. Psal. Beati omnes. Psal. Sæpe expugnauerunt. Singuli cum Gloria Patri. Statim dicit Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos, &c. Resp. Sed libe-

ra. Vers.

Verſ. Domine exaudi. Reſp. Et clamor meus ad te.
Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris; adeſto ſupplicationibus noſtris, & huius domus ſis protector, & nulla hîc nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat: ſed (virtute Spiritus ſancti & operatione) fiat tibi hîc purum ſeruitium, & deuota libertas exiſtat. Per Chriſtum Dominum. &c. Reſp. Amen.

Poſtea dicuntur alij quinque Pſalmi graduales, aſpergendo, vt ſuprà, loca domus, aqua benedicta: Pſal. De profundis. Pſal. Domine non eſt exaltatum. Pſal. Memento Domine Dauid. Pſal. Ecce quàm bonum. & Pſal. Ecce nunc. Singuli cum Gloria Patri. Quibus finitis, dicit Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera nos, &c. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor meus. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus qui in omni loco dominationis tuæ, cuſtos & protector aſſiſtis, exaudi nos quæſumus; vt inuiolabilis huius domus permaneat bene ✠ dictio; & beneficia tui muneris, vniuerſitas quæ ſupplicat, mereatur. Per Chriſtum. Reſp. Amen.

Poſtea in principali loco domus, legat ſequens Euangelium. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Verſ. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Reſp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat prin-

ceps Publicanorum, & ipſe diues. Et quærebat videre Ieſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat, & præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus, vidit illum, & dixit ad eum; Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere: & feſtinans deſcendit: & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet. Stans autem Zachæus, dixit ad Ieſum; Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eo quòd & ipſe ſit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. Reſp. Laus tibi Chriſte.

Deinde benedicitur incenſum hoc modo: Per interceſſionẽ Beati Michaelis Archangeli, ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene ✠ dicere, & in odorem ſuauitatis accipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Poſtea Sacerdos ponat incenſum ſuper ignem, & incenſet domum, dicens: Incenſum iſtud à te benedictum, adſcendat ad te Domine: & deſcendat ſuper nos miſericordia tua. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſto-

diant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Resp. Amen.

Postea domum & habitatores eius benedicat, dicens: Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti, descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper. Resp. Amen. Et aspergat aqua benedicta.

INSTRVCTIO CONTRA AFFLICTIONEM ANIMALIVM.

Cum alicuius vaccæ, pecudes, aut iumenta inficiuntur, & lac subtrahitur, pater materque familias imputent damnum istud suis suorumque peccatis, vt suprà dictum est: deinde se cum suis domesticis sacramentali præuia confessione constituant in bono statu vt suprà dictum est, seque diuinæ submittant voluntati, grauiora libenter laturi, si id saluti eorum expediat, & Domino Deo ita videatur. Rogantes nihilominus Christum vt necessaria vitæ subsidia ipsis dare & conseruare dignetur, dum autem mater-familias aut mulier quæ lacticiniis præest, ad opus se parat, ad excitandam in se fiduciam, recitet attente & religiose Symbolum fidei, & Orationem dominicam ac similes preces humiliter fundat, & crucis signo se muniens, confidenter aggrediatur lactarium opus, & dicat. Abrenuncio tibi Satana & omnibus pompis tuis & subjicio me Christo. &c. *Vtatur etiam aqua benedicta & aspergat stabulum, & vaccas ac pabulum earum, Similiter accipiat & cereos aliaque quæ in Ecclesia ad compescendum & fugandum dæmones benedicuntur, de quibus suprà dictum est. Si non assequitur quod postulat, accedat sa-*

cerdotem publicum Ecclesiæ ministrum, nam vt ait August. lib 3. *de Trinit. cap.* 4. Spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator regitur per Spiritum vitæ rationalem pium & iustum,& ille per ipsum Deum, ac si vniuersa creatura per creatorem suum.

Sacerdos ergo vocatus dicet sequentem exorcismum cum precibus ac psalmis.

Exorcismus ac benedictio contra pestem & afflictionem animalium.

EXorcizo te dæmon & admoneo te per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ✠ sanctum, vt exeas & recedas de loco isto, nec vnquam reuertaris, nec habitantibus in eo, aut homini aut bruto pauores immittas, aut quodcunque maleficium inferas, per eum qui te vicit & superauit in patibulo crucis, & potestatem tuam ligauit, quique cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

Deinde aspergatur tota domus aqua benedicta.

Oremus.

DEus qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus solatia subrogasti, supplices te rogamus, vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire. Per Dominum nostrum, *&c.*

AVerte, quæsumus Domine, à fidelibus tuis cunctos miseratus errores, & sæuientium morborum qui grassantur in animalia depelle perniciem, vt quos suo merito flagellas, deuios foueas tua miseratione

corre-

correctos. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

His orationibus addi poterunt psalmi sequentes.

Psal. Deus in nomine tuo saluum me fac, Psal. Miserere mei Deus, miserere mei, &c. Domine Deus meus in te speraui, saluum. &c. Gloria Patri & Filio, &c.

Oremus.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c Amen.

Oremus.

COncede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DEus qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab eis in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verę fidei ętern æ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatē, quęsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Christum Dominum nostrum. Amen

Alia benedictio aduersus eandem afflictionem animalium.

ANimalia aſpergentur aqua benedicta, poſtea dicet Sacerdos. Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cælum & terram. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

MIſericordiam tuam, Domine, ſupplices exoramus, vt hæc animalia quæ graui infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ benedictionis virtute ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, ne vlterius ægrotent, tu eis Domine ſis defenſaculum vitę & remedium ſanitatis. Per Dominum noſtrum, &c. Reſp. Amen.

De benedictione ſalis, quod datur animalibus.

Aſpergatur aqua benedicta, dicendo: Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cælum & terram. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus inuiſibilis & inueſtigabilis, pietatem tuam per ſanctum ac tremendum filij tui nomen ſuppliciter deprecamur, vt in hanc creaturam ſalis benedictionem ✠ & potentiam inuiſibilis operationis infundas, vt animalia quæ neceſſitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex eo acceperint vel guſtauerint, bene ✠ dictio & ſancti ✠ ficatio tua ab omni ægritudinis

gritudinis & læsionis incursu te protegente custodiat. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Resp. Amen. Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, defende quæsumus omnia animalia nostra per hanc creaturam salis & aquæ, defende piissime à rapacibus, à latronibus, à bestiis, à scabie, à morbo, à morsibus, à laqueis, à diabolo, ab infirmitate, ab inuidia & malitia prauorum, à malis hominibus, à malis oculis, à veneficiis, ab aruspicibus, & ab omnibus malis pecudes & alia animalia quę morbis & infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam salis & per inuocationem sancti nominis tui saluare & sanare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

FINIS TERTIÆ PARTIS.



ERRORES CORRIGENDI.

In prima parte, pag. 2. lin. 22. lege summum. pag. 28. lin. 4 referendo. pag. 42. lin. 19. præsentes. pag. 46. lin. 14. sempiternus. pag. 59. lin. 8. paratus. pag. 65. lin. vlt. monasterium. pag. 89. lin. 4. descendat. pag. 86. lin. 22. decedet. pag. 103. lin. 16. sentiat se. pag. 107. lin. 13. habeas. pag. 109. lin. 2. ex suis, lege ipsius.

In secunda parte, pag. 75. lin. 23. incendio.

In tertia parte, pag. 26. lin. 18. thimiama. pag. 27. lin. 5. audiens. pag. 31. lin. 6. filium.

Examinatum & approbatum fuit hoc Pastorum Manuale per Reuerendiß. Dominum, D. IACOBVM BLASÆVM Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopum Audomarensem, & per Venerabilem virum D. Guillelmum Taelboom, Sacræ Theolog. Licent. in Ecclesia Cathedrali Audomaren. Canonicum & Archidiaconum Arthesiæ, publicatumq; in Synodo Diæcesana anniuersaria, anno Domini millesimo sexcentesimo sexto, die nona Maij; præsidente præfato Rmo Domino, & præsentibus Prælatis, Decanis Christianitatis & pastoribus Diæcesis Audomar. aliisq; pluribus, qui Synodis anniuersariis interesse consueuerunt. Præcepitq; idem Reuerendiß. Dominus omnibus pastoribus vt in sacris suis functionibus eo, nulloq; alio vtantur.

Per ordinationem prælibati Reuerendiss. Domini,

I. De Remetz Secret.



